Hildebrand
1786.

n.

DE

VETERUM SAXONUM RE PUBLICA.

scripsit

Dr. Bruno Hildebrand.

VRATISLAVIÆ,
APUD M. FRIEDLÆNDER.

MDCCCXXXVI.

INTRODUCTIO.

Historiam populi veterum Germanorum universi saepe numero mihi miranti qui tandem factum esset, ut qui plenam atque perfectam contexerit omnibusque partibus absolutam huc usque nemo exstitisset, non ingenii mihi hoc visum est tenuitati scriptorum esse tribuendum sed in ipsa positum rei natura. Etenim inter omnes quum vix unum invenias populum qui ex pluribus quam Germanus singulis gentibus constet, quarum, quamvis uno cunctae contineantur vinculo, aliae aliis fruantur moribus, institutis, legibus, earum singularum nisi prius sit historia accurate ac plene tractata, universi populi facile apparet historiam exspectari non posse. Quod cum intelligerent recentiores historiae scriptores omnes, ea potissimum in re collocarunt operam ut singulorum Germaniae populorum critica recte factitata arte, quam accuratissimam possent, conscriberent historiam. Qua quidem in re quo huc usque elaboratum sit eventu, Wenckii, Pfisteri aliorumque docent egregiae de singulis Germanorum populis disquisitiones, quas in dies iri auctum et exspectari potest et debet etiam optari. Atque haec quidem est, quam exposui, ratio, qua ego quoque commotus eodem modo de singulari aliquo Germaniae populo singularem mihi proposui instituere disputationem, quam quod in Saxonibus potissimum volui versari non est quod pluribus exponam. Ex an-

tiquae enim Germaniae populis, quorum plenior quaedam nobis obtigit notitia, quamquam nullus fere est, quin diligentius debeat cognosci, non tamen facile Saxonibus invenies quemquam digniorem, cujus res publica et instituta, quae et qualia antiquissimis fuerint temporibus, quam accuratissime pervestigentur. Neque enim tantummodo pertinax illud libertatis studium, quod in bellis cum Carolo Magno gestis probaverunt Saxones, neque claritudo auctoritasve, quam consecuti sunt ex regibus, qui aliquamdiu ex iis creati toti Germaniae prospero eventu imperarabant, neque denique ea solum, quae posterioribus temporibus ad totius Germaniae gloriam augendam contulerunt, summam omnium commovent admirationem: verum etiam quae iam multo ante in diversis iisque remotissimis Europae terris egregie perfecerunt tantam in sese continent gravitatem, ut vel sola magnum nobis non excitent desiderium sed officium imponant hujus populi rei publicae constitutionis, qua antiquissimis jam sint usi temporibus, accuratius cognoscendae. Etenim jam exeunte saeculo tertio imperium Romanum et septentrionalem potissimum Galliae oram Saxones mari invaserunt continuoque ita sunt populati, ut istae Armoricae regiones littus Saxonicum appellarentur, iisque defendendis tribunus praeponeretur 1). Quemnam deinde fugiunt Saxonum expe-

1) Eutrop. lib. IX, c. 21: „Carausius — cum apud Boloniam per tractum Belgicae et Armoricae pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, — a Maximiniano jussus occidi, purpuram sumpsit et Britanniam occupavit.“ — Notitia dignitatum imperii tam civilium quam militarium per Gallias ex notitia imperii occidentalis ultra Arcadii et Honorii tempora apud Du Chesne Hist. Francor. Scripptt. T. I. p. 3: „Sub dispositione viri spectabilis ducis tractus Armoricani et Nervicani: Tribunus cohortis primae novae Armoricae Grannona in littore Saxonico“ — cf. L. v. Lebedur: das Land und Volk der Bructerer; Berol. 1827. p. 270. not. 873. — J. C. Pfister Geschichte der Deutschen.

ditiones, quibus saeculo quinto Britanniam occupaverunt, ibique perpetuas sibi paraverunt sedes[2])? Quo eodem fere tempore cum Aëtio in campis Catalaunicis contra Attilam certarunt[3]). Nec ita multo post Saxonum plus viginti millia, qui arma ferre poterant, cum liberis atque uxoribus Longobardorum Alboino duce in Italiam irrumpentium socii facti Italiam expugnarunt, unde tamen paullo post suis quominus uterentur legibus a Longobardis impediti in pristinas sedes per Galliam reversi sunt[4]). Quid mirum, quod haec potentissima Germaniae gens non Thuringorum modo regnum cum Francis conjuncta subvertit[5]), sed etiam to-

---

Hamburg 1829, T. I, pag. 184. — Lappenberg: Geschichte von England. Hamburg 1834. T. I, pag. 41.

2) Bedae hist. eccles. Angl. lib. I, c. 15 ad a. 449: „Advenerant autem de tribus Germaniae populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Jutis. — De Saxonibus, id est, ea regione, quae nunc antiquorum Saxonum cognominantur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, occidui Saxones.“ Cf. J. Möller: Saxones; Berol. 1830. p. 12. sqq. et Lappenberg l. I, T. I. p. 65 sqq.

3) Jornandes de Goth. orig. c. 36: „A parte vero Romanorum tanta patricii Aëtii providentia fuit, cui tunc innitebatur res publica Hesperiae plagae, ut undique bellatoribus congregatis, adversus ferocem et infinitam multitudinem non impar occurreret. Hi enim adfuere auxiliares: Franci, Sarmatae, Armoriciani, Liticiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli etc.“

4) Paulus Diaconus de gest. Longob. lib. II, c. 6 ad a. 568 (ap. Muratori scriptt. rer. ital. I, p. 428): „Alboin vero ad Italiam cum Longobardis profecturus, ab amicis suis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatinus spatiosam Italiam cum pluribus possessurus intraret. Ad quem Saxones plus quam viginti millia virorum cum uxoribus simul et parvulis, ut cum eo ad Italiam pergerent, juxta ejus voluntatem venerunt“. Cf. lib. IV, c. 5 sqq.

5) Ruodolfi Translatio S. Alexandri. C. I, (Mon. Germ. hist. T. II, p. 674): „Saxonum gens — per oceanum navigans Germaniae litoribus studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est, in loco, qui vocatur Haduloa, eo tempore quo Thiotricus rex Francorum contra Irmintri-

tam fere septentrionalem Germaniae partem in potestatem suam redegit, et cum Francis, quos Thuringis subactis confines habebat, ad Caroli M. tempora usque tam feliciter decertavit, ut victam eam esse dici nequeat.

Attamen Saxonum rem publicam propriamque vivendi rationem, quae tum fuerit, investiganti maxima difficultas oritur ex fontium penuria atque jejunitate. Raro enim a veteribus rerum Germanicarum scriptoribus praeter ea, quae de Saxonum modo narravi rebus gestis, aliud quiddam commemoratur, ex quo, qui fuerit ante Carolum M. rei publicae status, qui mores, qui ritus, certius possimus concludere. Unde factum est, ut recentiores plerique, qui de Saxonum veterum historia scripserunt, quaestionem de hujus populi re publica aut omnino evitarent, aut ita tantum attingerent, ut vix aliud quiddam nisi quod in Taciti Germania de Germanorum rebus publicis universe dictum invenissent, narrarent, idque ipsum, artis criticae ratione prorsus fere neglecta ad Saxones transferrent. At Taciti aetate neque Saxones in Germania, quod sciamus, habitabant[6]), neque, sedes eorum antiquis-

---

dum generum suum, ducem Thuringorum dimicans, terram eorum crudeliter ferro vastavit et igni. Et cum jam duobus proeliis ancipiti pugna incertaque victoria miserabili suorum cede decertassent, Thiotricus spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum dux erat Hadugoto. Audivit enim causam adventus eorum, promissisque pro victoria habitandi sedibus, conduxit eos in adjutorium; quibus secum quasi jam pro libertate et patria fortiter dimicantibus, superavit aduersarios, vastatisque indigenis et ad internitionem pene deletis, terram eorum juxta pollicitationem suam victoribus delegavit." Cf. Wittechindi annal. l. I, ap. Meib. scriptt. rer. Germ. T. I, pag. 631 sqq.

6) Tacitus enim vixit sub finem saeculi primi; cf. Nic. Bach de Cornelii Taciti vita scriptisque in edit. ejus Tac. oper. Lips. 1832, pag. 16 sqq. Saxones autem medio saeculo secundo in Germania inveniuntur, cf. h. l. Cap. 2.

simae Romanis Taciti tempore fuisse cognitae videntur, ita ut Tacitus eorum vitae rationem neque describere voluisse, neque omnino videatur novisse. Accedit, quod Tacitum si sequimur, quos mores atque quae instistuta cum reliquis Germaniae gentibus communia habuerint Saxones, quae ab illis diversa, plane non potest explorari. Itaque cum neque Tacito in rebus Saxonicis auctoritas tribui possit, neque aliorum suppetat aliqua fontium ubertas, temerarium haud dubie videtur, antiquissimam Saxonum rem publicam ita enucleare velle, ut tota possit integra cognosci. Nihilominus tamen non parvi esse commodi existimo, si certis, quibus veritas circumscripta sit, finibus exploratis quid idoneis possit comprobari testimoniis, quid minus, justa demonstretur ratione. Quapropter non supervacaneum agere mihi videor, si Tacito emisso, quae de Saxonum ante tempora Caroli M. re publica in ipsis fontibus hic illic dispersa invenerim, secundum criticae artis leges digeram atque justo ordine pro re nata exponam, praesertim cum fontes nondum ita videantur esse pervestigati, quin ex iis denuo indagatis fructum quendam nos esse percepturos speremus. Quae cum ita sint, de singulis rebus, quae maxime sub examen vocandae esse videantur, hoc ordine disputabimus:

I. de fontibus, qui in hac quaestione maxime respiciendi sunt.

II. de terra Saxonica ejusque diversis partibus.

III. de Saxonum ordinibus.

IV. de Saxonum concionibus atque judiciis.

V. de Saxonum magistratibus.

Cap. I.

DE FONTIBUS.

Jam primum si de fontibus quaerimus, maxime sane dolendum est, ipsorum Saxonum, qui ante Caroli M. tempora vivebant, neque scriptores neque alius generis historica superesse monumenta. Neque tamen hoc mirum debet videri. Sermo enim latinus quippe quo omnes ceterarum Germaniae gentium scriptores uterentur, si quidem omnino Saxonibus illis temporibus erat ignotus, jure dubitaveris, num unquam inter Saxones ante Carolum M. exstiterint, qui populi sui res litteris mandarent. Carmina vero, si quae fuerint Saxonibus, quibus possimus tanquam fontibus uti, quominus tulerint aetatem, imprimis impedivit haud dubie nimium quoddam religionis studium christianorum sacerdotum, inde ex Caroli M. tempore ibi constitutorum, quibus omnia, quae paganis populis ad christianam fidem ductis propria erant, nisi forte inde usus quidam suis rebus veniret, contemptui atque odio erant. Quae cum ita sint, triplicis tantum generis suppetunt antiquissimae Saxonum historiae fontes, quorum uni Francorum adnumerandi sunt scriptores, Anglosaxonum alteri, tertio denique Saxonum scriptores posteriorum. Francis enim exceptis a reliquis Germaniae populis nihil fere est de Saxonibus proditum, quoniam iis aut omnino rerum hujus populi cognoscendarum opportunitas defuit, aut si quibus cognitae erant, eas qui traderent posteritati exstiterunt nulli.

Ad prius igitur quod attinet eorum, quae commemoravi, fontium genus, praeter ea, quae de bellis Saxonum contra ipsos gestis tradunt satis, ut mihi quidem videtur, haud raro suspecta, nusquam

fere Franci quidquam operae pretium duxerunt commemorare, quod ad accuratiorem publicae Saxonum vitae cognitionem conferre posset. Tanto enim illi vel sui populi vel christianae religionis studio flagrabant, ut de antiquissimis Saxonum temporibus fidei paganae deditorum nihil fere commemorarent, nisi inde vel suorum nominis vel christianae religionis fama eluceret atque claritudo. Impensiorem autem, qui videntur Saxonum historiae operam navasse, duo sunt Francorum scriptores, Einhardus et Nithardus, de quibus singulatim nunc dicetur.

De Einhardo.

Einhardus celeberrimus ille medii aevi scriptor [1]) quamquam is quoque Caroli M., cujus familiaris erat atque consiliarius, christianaeque religionis gloriam scriptis suis illustrare studebat, tum in Vita Caroli M. [2]) tum in Francorum Annalibus [3]) non semel in rebus Saxonicis explicandis paullo diutius versatur. Attamen utriusque libri natura ita ferebat, ut nonnisi singula pro consilio suo ex Saxonum rebus publicis obiter attingeret, quae quantumvis ad nonullas res certiores efficiendas faciant, accuratiorem tamen Saxonicarum rerum non praebeant cognitionem. Praeterea vero idem Einhardus auctore Adamo Bremensi [4]) singularem quoque de adventu, moribus et superstitione Saxonum librum composuit, cujus nobis fragmentum idem asservavit scriptor. At hujus quidem libri cum apud solum Adamum Bremensem fiat commemoratio, illudque, quod nobis asservavit fragmentum ad verbum

1) De vita Einhardi copiosius disputavit Pertzius in Mon. Germ. hist. T. II, p. 427.
2) Cap. 7 und 8.
3) Ad a. 772, 774—780, 782 etc. (Mon. Germ. hist. T. I.)
4) Hist. eccles. Lib. I, Cap. 3 (apud Lindenbrog, Scriptt. Rer. Germ. Septent. p. 2): „Quod breviter describens Einhardus, tali modo suam ingreditur historiam“ et Cap. 6: „Haec tulimus excerpta ex scriptis Einhardi de adventu, moribus et superstitione Saxonum.“

congruat cum initio historiae de translatione S. Alexandri Wildeshusum partim a Meginharto conscriptae[4]), ipsamque illam S. Alexandri translationem anno DCCCLXI[6]) factam Adamus referat ab eodem Einhardo in Saxonum historia esse descriptam, quo tamen tempore jam obierat Einhardus[7]): his igitur causis commoti errorem aliquem ea in re obtinere suspicati sunt viri docti, quem praeeunte Schcidio[8]) ita sibi videbantur removere posse Ludenius[9]), Pertzius[10]), Asmussenius[11]) ceterique fere omnes recentiores scriptores, ut quem Adamus Bremensis illius libri Einhardum affert scriptorem, ejus loco Meginhartum contenderent esse substituendum. Verum jam G. A. Stenzelius[12]) contra monuit, primum vix credi posse, illud Meginharti opusculum ab Adamo Bremensi gesta Saxonum esse nominatum, deinde propter incertam rationem, qua Adamus in tempore, quo S. Alexandri corpus Wildeshusum translatum sit, definiendo utatur, dubitari posse, num annus ille DCCCLXI recte sit consti-

5) Mon. Germ. hist. T. II, pag. 673.

6) Adam. Brem. Lib. I, Cap. 30: „Et tunc facta sunt miracula, quae per merita sancti Willehadi populo ostensa sunt, ab anno Domini DCCCLXI, qui est annus, ab ordinatione Archiepiscopi XXX. Ipse enim qui transtulit, et vitam et miracula ejus singulis libris comprehendit. Sique temporum seriem diligenter computemus, ipsum est tempus, quo in Saxoniam translatio Sancti contigit Alexandri. In qua illud memorabile videtur, confessorem nostrum cum advena Martyre certasse, quis eorum videretur esse major et in gratia sanitatum populis acceptior. Einhardus in gestis Saxonum haec dulci calamo prosequitur.“

7) Einhardus enim obiit a. 844, cf. Pertz in Mon. Germ. hist. T. II, pag. 430.

8) Biblioth. histor. Gotting. T. I, praef. p. XIV. sqq.

9) Geschichte des deutschen Volkes, T. V, p. 501, Not. 19.

10) Mon. Germ. hist. T. II, p. 429.

11) De fontibus Adami Bremensis comment. Kiliae 1834, p. 30.

12) Geschichte Deutschlands unter den fränkischen Kaisern. Lips. 1828, T. II, p. 98.

tutus; tum ipsius fragmenti, quod Adamus tradat, locum etiam in Einhardi Vita Caroli M. inveniri[13]), denique idem fragmentum, quod Adamus ex Einhardi gestis Saxonum se petiisse refert, in chronico Urspergensi[14]) idque copiosius legi, ita ut non ex Adami libro sed ex primo fonte petitum esse videatur. Quibus ex causis multo esse verisimilius, non Adamum ex Meginharto, sed utrumque ex uno eodemque libro Einhardi hausisse. Quae sententia, quamquam quod ultimo posuit loco Stenzelius minus probaverim[15]), hisce potissimum causis insuper comprobatur. Primum enim in illo fragmenti loco, qui cum Einhardi verbis congruit, Adamus

13) Adam. Brem. Lib. I, c. 6: „Erant enim, sicut omnes fere Germaniam incolentes, et natura feroces et cultui daemonum dediti, veraeque religioni contrarii, neque divina neque humana jura polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur.“ et Cap. 7: „De quo (bello) idem scriptor Einhardus brevi epilogo meminit dicens: Susceptum est igitur bellum adversum Saxones, quod magna utrimque animositate, tamen majore Saxonum quam Francorum damno, per continuos XXXIII annos gerebatur: poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur.“ Cf. Einhardi Vita Car. M. C. 7: „Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes et natura feroces et cultui daemonum dediti, nostraeque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere vel transgredi inhonestum arbitrantur. — Susceptum est igitur adversus eos bellum, quod magna utrimque animositate, tamen majore Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur.“

14) Conradi a Lichtenau abbatis Urspergens. chronicum; Basil. 1569. p. 192 sq.

15) Nam quae in chronico Urspergensi praeter illud fragmentum de origine Saxonum leguntur, vel ex Wittechindi annalium Lib. I. vel ex Einhardi Vitae Caroli M. Cap. 7. derivata sunt; illud autem fragmentum ad verbum fere ita cum eo concinit, quod Meginhartus affert, ut quamquam non ex Adamo Bremensi, tamen ex Meginharto petitum esse possit.

16) Translat. S. Alexandri Cap. 3, „qui erant sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroces et cultui daemonum dediti, veraeque religioni contra-

magis consentit cum Einhardo quam Meginhartus 16), ita ut Adamus illum Einhardi locum nullo modo ex Meginharto potuerit depromere. Deinde vero id etiam accedit, quod praeter illum fragmenti locum Adamus sese duos alios etiam locos 17) ex ejusdem Einhardi scriptis sumpsisse dicit, qui quidem in Einhardi Vita Caroli M. 18), neque tamen in Meginharti libello inveniuntur, unde cum duos diversos Einhardos Adamus neutiquam discernat, imo ex unius ejusdemque doctissimi viri Einhardi operibus se hausisse aperte profiteatur, certo colligi potest eundum Einhardum, qui vitam Caroli M. atque annales Francorum composuit, etiam istius fragmenti esse auctorem, praesertim cum, quae translationis S. Alexandri pars cum Adamo concinit, ea non a Meginharto sed a Ruodolfo sit confecta 19). His

---

rii, neque divina neque humana jura transgredi inlicitum vel inhonestum putantes;" cf. h. C. not 13 et Asmussen. l. l. p. 35 not. 1.

17) Lib. I, 1: „Non indecens aut vacuum fore putamus si prius de gente Saxonum et ejusdem provinciae ponemus ea, quae doctissimus vir Einhardus aliique non obscuri auctores in scriptis suis reliquerunt. Saxonia, inquiunt, pars non modica est Germaniae, et ejus quae a Francis incolitur duplum in lato putatur habere, cum ei longitudine possit esse consimilis." et lib. II, c. 9: „De cujus (sc. maris orientalis) freti natura breviter in gestis Caroli Einhardus meminit, cum de bello diceret Slavonico. Sinus, ait, quidam ab Occidentali Oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertae, latitudinis vero, quae nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multae circumsedent nationes, Dani quidem ac Sueones, quos Nordmannos vocamus, et septentrionale littus, et omnes in eo insulas tenent. At littus australe Slavi, et aliae diversae nationes incolunt, inter quos vel praecipui sunt, quibus tunc a rege bellum inferebatur, Wilzi, quos ille una tantum et quam per se gesserat facere minime contudit ac domuit, ut alterius imperata expeditione ita renuendum judicarent."

18) Cap. 12 et Cap. 14.

19) Mon. Germ. hist. T II. pag. 673.

omnibus ex causis vix potest dubitari, quin Einhardus revera singularem de Saxonibus scripserit libellum, cujus et Ruodolfus et Adamus Bremensis fragmenta quaedam nobis asservarunt. Quae fragmenta quantam vim et auctoritatem in Saxonum exerceant historiam, infra explicetur, ubi de translatione S. Alexandri fusius dissereretur.

De Nithardo.

Alter Francorum scriptor est Nithardus Angilberti filius[20]), egregii Caroli M. generi atque familiaris, qui a. DCCCXIV obiit[21]). Is, ut recte Pertzius refert, in bellis post obitum Hludowici I. inter ejus filios exortis Carolo regi animo, consilio brachioque fortiter adfuit, omnesque bellorum vicissitudines cum eo partitus est. Initio dissensionis legationem ad Hlotharium suscepit, atque in bello Fontanetico Adalhardo duce pro Carolo pugnavit, et Aquisgrani inter XII viros fuit, quibus Carolus vices suas in divisione imperii commiserat.

Medias inter turbas Carolo jubente annis DCCCXLI—DCCCXLIII historiae rerum, quarum ipsi pars aliqua fuerat, quatuor scripsit libros, quorum postremo C. 2. haec narrat:

„Saxones quidem, sicut universis per Europam degentibus patet, Carolus, magnus imperator — ab idolorum vana cultura multo ex diverso labore ad veram Dei christianamque religionem convertit. Qui ab initio tam nobiles quam et ad bella promptissimi multis indiciis persaepe claruerunt. Quae gens omnis in tribus ordinibus divisa consistit; sunt enim inter illos qui edhilingi, sunt qui frilingi, sunt qui

20) Nith. hist. lib. IV, Cap. 5: „Madholgaudus autem et Richardus et hic (sc. Angilbertus) una progenie fuere, et apud magnum Carolum merito magni habebantur. Qui (Angilbertus) ex ejusdem magni regis filia nomine Berchta Harnidum fratrem et me Nithardum genuit.“ Cf. Mon. Germ. hist. T. II, p. 591.

21) Mon Germ. hist. T. II, p. 591.

lazzi illorum lingua dicuntur; latina vero lingua hoc sunt: nobiles, ingenuiles atque serviles. Sed pars illorum quae nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in dissensione Lodharii ac fratrum suorum divisa, unaque eorum Lodharium, altera vero Lodhuwicum secuta est. His ita se habentibus, cernens Lodharius, quod post victoriam fratrum populus qui cum illo fuerat deficere vellet, variis necessitatibus astrictus, quocunque et quomodocunque poterat, subsidium quaerebat. Hinc rem publicam in propriis usibus tribuebat; hinc quibusdam libertatem dabat; quibusdam autem post victoriam se daturum promittebat; hinc etiam in Saxoniam misit, frilingis lazzibusque, quorum infinita multitudo est, promittens, si secum sentirent, ut legem quam antecessores sui, tempore quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Qua supra modum cupidi, nomen novum sibi id est Stellinga, imposuerunt, et in unum conglobati dominis e regno pene pulsis, more antiquo qua quisque volebat lege vivebat."

Qui locus, uti totum opus magni profecto faciendus est, cum auctor tum plerisque rebus a se narratis, tum bellis potissimum Hlotharii cum fratribus gestis interfuerit neque ex aliis scriptoribus hauserit. Quem etiam si haud paucis operis locis non negligendum esse videatur, a Caroli partibus stetisse, quo auctore opus suum composuit, non est tamen, cur hujus loci auctoritas ullo modo in dubium vocetur. Nam quod Nithardus nonnisi tres Saxonum ordines, quibus alii scriptores[22]) etiam quartum adjiciunt servorum ordinem, fuisse tradit, Nobilium seu Edhelingorum, Liberorum seu Fri-

22) Einhard. ap. Adam. Brem. L. I. c. 5 et Translat. S. Alexandri C. I: „Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et liberorum, libertorum atque servorum"; cf. Lex Saxonum Tit. II § 1, 3, 4 et Tit. 14.

lingorum et Lassorum, quos dicit serviles, offendere non potest, cum veteres scriptores[23]), ubi de populi ordinibus sermo est, servorum ordinis saepius nullam omnino habeant rationem. Atque Lassos quod serviles nominat, qui a servis maxime differunt ab aliisque scriptoribus liberti vocantur, jure suo id videtur illo quidem tempore fecisse, cum quod ex hoc ipso loco intelligitur, Lassi majorum jura legesque perdidissent. Ceterum quod ad hujus loci interpretationem pertinet, longe aberravit a vero Lujlenius[24]), qui eo ante Carolum M. apud Saxones singularem nobilium ordinem prorsus non exstitisse demonstraturus ita argumentatur: ut cum ereptam sibi a Carolo M. maiorum libertatem et leges recuperaturi liberi et lassi dominos propellerent, qui domini propterea, quod praeter liberos et lassos nisi nobilium ordo nullus exstaret, ipsi fuissent nobiles, inde necessario dicat consequi, ante Caroli M. tempora nobilium ordinem omnino non exstitisse. Cui sententiae majorem etiam probabilitatis speciem Annal. Xantens.[25]) locus videtur afferre, ubi illi domini aperte nobiles appellantur. Multo tamen aliter sese haec res habet. Nithardus enim quum disertis verbis nobilium ordinem narret in dissensione inter Lotharium ejusque fratres exorta in duas fuisse partes divisum, quarum altera in Hludowici, altera in Lotharii steterit partibus, Saxonum Liberos et Lassos excitantis, dominos illos quamvis ex nobilibus fuisse negari ne-

23) Witechindi annal. L. I. (ap. Meibom. scriptt. rer. Germ. 1. p. 634): „unde usque hodie gens Saxonum triformi genere ac lege praeter conditionem servilem dividitur."

24) l. l. T. V, p. 503 not. 23.

25) Ad a. 841. (Mon. Germ. hist. II, p. 227): „Eodem anno per totam Saxoniam potestas servorum valde excreverat super dominos suos, et nomen sibi usurpaverunt Stellingas, et multa irrationabilia commiserunt. Et nobiles illius patriae a servis valde afflicti et humiliati sunt."

queat, minime tamen totum eorum ordinem patet intelligendum esse. Immo domini comites videntur significare ex Saxonum nobilibus a Carolo M. constitutos[26]). Dein vero etiamsi concesserimus, dominos pro nobilium ordine accipi posse, neutiquam tamen hoc ex loco consequitur, ante Carolum M. apud Saxones nobilium ordinem omnino non exstitisse, sed tantummodo nobiles antea nondum dominos fuisse, minoremque obtinuisse potestatem, quam post Carolum M. qui quo facilius Liberorum Lassorumque ordinem opprimeret, nobilium potestatem augebat[27]).

De Beda Venerabili.

Absoluta hac prioris generis fontium expositione transire jam placet ad Anglosaxonum atque Saxonum posteriorum scriptores, qui etsi mancum atque imperfectum id est, quod nobis reliquerunt, soli tamen fere sunt, a quibus Saxonum rerum publicarum notitia est petenda. Atque Anglosaxonum quidem scriptores quod attinet, solus ex iis nomi-

---

26) Annal. Lauresham. ad a. 782. (Mon. Germ. hist. I, 32): „Habuit Carolus rex conventum magnum exercitus sui in Saxonia ad Lippebrunnen et constituit super eam ex nobilissimis Saxones genere comites.

27) Poeta Saxo ad a. 803 (Mon. Germ. hist. I, 261):
„Nam se quisquis (sc. Saxonum) commiserat ejus (sc. Caroli.)
Egregiae fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primum
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta,
Praedia praestiterat cum rex compluribus illic,
Ex quibus acciperet preciosae tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcisque fluenta Liei.
His ubi primores donis illexerat, omnes
Subjectos sibimet reliquos obtriverat armis.“

nari potest Beda ille Venerabilis, praestantissimus suae aetatis scriptor, qui in Northumbrorum provincia natus, ubi presbyteri munere fungebatur, a. DCCXXXV. p. Chr. n. obiit[28]). Praeter multa alia opera, quae vel ad theologiam vel ad historiam spectant, ecclesiasticam Anglorum historiam scripsit, cujus lib. V. C. 11. duos quosdam presbyteros de natione Anglorum in provinciam antiquorum Saxonum venisse narrat, qui hospitium villici cujusdam intrantes ab eo petiissent, ut transmitterentur ad Satrapam, qui super eos esset, eo quod haberent aliquid legationis et causae utilitatis, quod deberent ad illum deferre, quibus deinde haec addit: „Non enim habent regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos, qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur et huic obtemperant. Peracto autem bello, rursum aequalis potentiae omnes fiunt satrapae."

Hic plane nos fugit unde petitus sit locus, quamvis Beda plurimos, ex quibus historiam suam depromsit, fontes vel in narratione ipsa vel in litteris ab ipso ad Ceolulphum Northumbrorum regem scriptis indicare soleat[29]). Neque tamen vel ex Caesare[30]) vel ex Tacito[31]), qui de Germaniae populis in universum scripserunt Beda hausisse

---

28) Cf. I. M. Lappenberg Geschichte von England, T. I, p. 204 et Einleitung p. XLIV.

29) Cf. Reinhold Schmid: die Gesetze der Angelsachsen, T. I, Lips. 1832, Einleitung pag. XLIX sqq.

30) Bell. Gall. VI, 23: „Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt controversiasque minuunt."

31) Germ. Cap. VII: „Duces ex virtute sumunt."

hanc notitiam potest, cum ab illorum Romanorum scriptorum narratione haud paullo differat. Uterque enim illorum Germanorum duces a populo delectos esse tradit, dum apud Saxones, ut disertis verbis a Beda narratur, aequali Satraparum seu comitum sorte belli duces creabantur. Nihilominus tamen quum omnem Bedae narrationem si cum iis quos ipse affert comparaveris fontibus, qui quidem adhuc supersunt, satis intelligatur, quam caute et diligenter fontibus usus sit, quantoque veritatis studio historias conscripserit, Schmidius [32]), Eichhornius [33]), Gauppius [34]) ceterique recentiores illius narrationis veritatem nulli arbitrati sunt obnoxiam esse dubitationi. Verumtamen jam id offendere debet, quod cum aequali sorte satrapis ducis munus committeretur, quivis satraparum seu comitum, quorum numerus haud exiguus erat [35]), idoneus habe-

32) R. Schmid l. l. T. I, Einleitung pag. LXV sqq.

33) Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. Göttingen 1834, T. I, § 17, Not. n.

34) E. Th. Gaupp: Das alte Gesetz der Thüringer. Breslau 1834, pag. 117.

35) Quot enim pagi, tot fere erant sine dubitatione satrapae seu comites; cf. Poeta Saxo ad a. 772 (Mon. Germ. hist. T. I, p. 227):

„Gentem (sc. Saxonum)
Quae nec rege fuit saltem sociata sub uno
Ut se militiae pariter defenderet usu
Sed variis diversa modis plebs omnis habebat
Quot pagos tot pene duces.“

Saxoniae autem pagorum, quippe qui multo minoris essent amplitudinis, quam pagi Francorum, numerus erat permagnus. Id enim patet ex praecepto de institutione episcopatus Bremensis ad a. 789 (ap. Baluze I. 246), ubi Carolus M. ex decem antiquis Saxonum pagis, duos constituit: „Huic parochiae (sc, Bremensi) decem pagos subjecimus; quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis et divisionibus in duas redegimus provincias. iis appellantes nominibus Wigmodiam et Lorgoe.“

batur, qui ducis munere fungeretur. Deinde vero Beda de uno tantum duce Saxoniae sermonem facit, quamquam tres Saxonibus praefuisse, bellis eorum contra Francos gestis satis comprobatur[36]). Cui accedit, quod huic Bedae narrationi prorsus adversatur locus Wittechindi[37]), qui tres tradit Saxoniae praefuisse duces, ex quibus cum cunctis Saxonibus commune bellum ingrueret, unus sorte eligeretur cui ceteri obtemperarent. Praeterea vero si reputamus, Bedam praeter patriam Northumbrorum provinciam neque alias terras neque Saxoniam vidisse[38]), eumque etiam nonnullis aliis libri sui locis in errorem esse inductum[39]), falli me vix putaverim, si Bedam praestantissimum alioquin et religiosissimum scriptorem hac quidem in re errasse, eique Wittechindi censeo praeferendam esse auctoritatem. Quin etiam, cum Bedae opus Wittechindo cognitum fuisse videatur[40]), haud scio an non jure inde concluseris, eum consulto Bedae locum emendasse. Reliqua quae in hac Bedae nar-

36) Cf. Eichhorn. l. l. T. I, § 134. N. k.

37) L. I. (ap. Meibom. T. I, p. 634); „A tribus etiam principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westfalos. Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, aequo jure ac propria potestate unusquisque contentus vivebat.“

38) Cf. Not. 28.

39) R. Schmid l. l. Einleitung p. L.

40) Wittechindus enim L. I, ubi de Saxonum expeditione in Britanniam loquitur haec addit: „De quibus omnibus, si quis plenius scire voluerit, historiam gentis ejusdem (sc. Anglosaxonum) legat, et ibi inveniet, quomodo aut sub quibus ducibus haec omnia acta sint, vel qualiter ad Christianitatis nomen per virum suis temporibus sanctissimum Papam videlicet Gregorium perveniret.

ratione de villico et de rege et satrapis dicta sunt, tantum abest, ut aliis de rebus publicis Saxonum testimoniis repugnent, ut a Saxonum posteriorum scriptoribus atque imprimis a Wittechindo comprobentur atque affirmentur. Quare non est, cur ceteris Bedae verbis fides non habeatur.

Atque in iis quidem, quae exposui de Anglosaxonum scriptoribus, acquiescendum esse videtur; neque enim praeterea apud eos de Saxonum re publica notitia quaedem invenitur, neque quae de Anglosaxonum rebus publicis tradita sunt, ea ad ipsos licet Saxones transferre, cum quos mores et instituta priori ex patria Anglosaxones in Britanniam traduxerint, quosve a Britanniae populis subactis mutuati sint, nequeat dijudicari, nisi prius, quae Saxonibus in Germania habitantibus propria fuerint, sit exploratum. Restat igitur, ut disseratur de Saxonum ipsorum fontibus, quibus duplici ratione uti licet. Nam primum ex iis possunt hauriri, quae de antiqua Saxonum re publica dedita opera sunt dicta, ita tamen, ut caute sejungantur, quae vel ex Taciti scriptis petita vel ex ipsorum scriptorum temporibus in priora tempora sint traducta. Deinde vero etiam ex Saxonum rerum publicarum statu qualis post Carolum M. fuisse a scriptoribus traditur, priorem poteris cognoscere, si, quae a Carolo M. instituta atque mutata sunt, accurate, quantum id fieri potest, discreveris. Hanc duplicem igitur rationem in postera persequemur disputatione jam de Saxonum lege primum verba facturi.

De lege Saxonum.

Saxonum legis quae sit in nostra de antiquissimis Saxonum rebus publicis quaestione auctoritas cum dijudicari non possit, nisi ante de ejus auctore atque de tempore, quo sit composita, fuerit constitutum, hac quidem de re ita in animum induxi dis-

serere, ut discrepantes illas et veterum et recentiorum scriptorum sententias[41]) quoniam longum est hic tum commemorare velle tum dijudicare, ea tantummodo paucis proferrem argumenta, quibus Gaertneri[42]) et Eichhornii[43]) satis videtur comprobari sententia, qui Caroli M. jussu anno DCCCII p. Chr. n. Saxonia subacta sibi persuaserunt hanc legem esse descriptam. Ac primum quidem Carolum M. omnium populorum, quibus imperabat leges scriptas colligi et emendari, vel quae scriptae non essent, eas jussisse describi cum certis testimoniis[44]) demonstratur tum ejus imperii naturae ac rationi erat aptissimum. Etenim propter terrarum, quas in potestatem suam redegerat, amplitudinem diversamque populorum naturam Carolus M., ut imperium suum conderet atque firmum redderet diversas singulorum populorum leges reique publicae formas neque plenas constituere, neque omnino ita potuit tollere, ut solis armis imperaret. Sed id maxime ei fuit appetendum, ut populorum libertatem cum imperio suo, quantum poterat conjungeret, at-

41) Diversas plerorumque scriptorum sententias relatas et inter se comparatas invenies apud Car. Türk: Historisch dogmatische Vorlesungen über das deutsche Privatrecht. Rostock 1832. p. 61 sqq.

42) Saxonum leges tres ed. C. W. Gaertner. Lips. 1730 pag. 11.

43) Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte T. I, § 144 et 146.

44) Einh. Vita Car. M. c. 29: „Post susceptum imperiale nomen, cum adverteret (Carolus) multa legibus populi sui deesse — cogitavit quae deerant addere et discrepantia unire, prava quoque et perperam prolata corrigere; sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae sub ejus dominatu erant, jura quae non scripta erant discribere ac litteris mandari fecit.“ — Chron. Moissiac. ad. a. 802, Monum. Germ. hist. I, 306: „Et mense Octobrio congregavit (Carolus)

que singularum gentium jura legesque partim conservaret ac tueretur, partim quatenus earum id ferebat libertatis studium, suae imperandi rationi accommodaret. Itaque eas emendari jussit, et ut a pagorum comitibus praecipue in judiciis religiose observarentur, litteris mandari. Quin etiam a veri similitudine non abhorrere videtur, nonnullos populos a Carolo superatos ipsos ut describerentur patriae leges postulasse[45]). Quodsi certum est atque exploratum, etiam Saxonum leges jussu Caroli M. vel perscriptas vel emendatas esse, jam quaeritur, utrum quae adhuc superest lex Saxonum eadem sit atque illa sub Carolo M. perscripta vel emendata necne. Cui quaestioni esse satisfactum intelligitur, ubi neque ante Carolum M. neque post eum demonstratum fuerit hanc legem esse confectam. Quorum illud cum multis aliis tum hoc potissimum satis comprobatur argumento, quod haec lex latine est scripta et nonnullis in locis ad christianam spectat religionem. Propterea vero quod in ipsa lege etiam Francorum regum fit mentio[46]),

---

universalem synodum (Aquis) et ibi fecit episcopis cum presbyteris seu diaconibus relegi universos canones, quos sancta synodus praecepit, et decreta pontificum. — Et ipse imperator interim quod ipsum synodum factum est, congregavit duces, comites et reliquum populum Christianum cum legislatoribus, et fecit omnes leges et emendare ubicunque necesse fuit, et emendatam legem scribere, ut judices per scriptum judicassent, et munera non accepissent, sed omnes homines, pauperes et divites, in regno suo justitiam haberent." Cf. Eichhorn l. l. T. I, § 143, Not.

45) Struben: Nebenstunden. Hannov. 1759 T. V. Von dem guten Gebrauch und Missbrauch der alten deutschen Rechte p. 35.

46) Tit III, § 1: "Qui in regnum vel regem Francorum vel filios ejus de morte consiliatus fuerit, capite puniatur."

neque usquam commemoratum est, ab ullo alio Francorum rege Saxonibus leges fuisse institutas, Gaertneri sententia vix potest in dubitationem vocari, quamquam a nonnullis recentioribus scriptoribus sane est vocata, quorum unus tantum quippe gravissimus Thorl. Guem. Reppius[47]) breviter hic recenseatur. Is enim adductus maxime auctoritate Adami Bremensis[48]), a quo Heraldus Danorum rex qui sub finem saeculi decimi regnabat, Saxonibus Transalbinis leges et jura traditur constituisse, Spelmanni[49]) defendit sententiam, qui isti regi nostram legem adscribit. Attamen praeterquam quod in ipsa lege nostra Francorum reges ita commemorantur, ut nisi sub ipsorum imperio nequeat esse constituta, non desunt, quibus praeterea quae ad sententiam suam affirmandam a Reppio allata sunt, rejiciantur. Ad primum enim quod attinet argumentum, similitudinem dico hujus legis cum legibus Danorum, ea nullo pacto demonstratur, legem Saxonum a Daniae rege esse profectam, sed hoc tantum ex ista similitudine colligi potest, Saxones Danis fuisse cognatos, id quod ex aliis quoque testimoniis[50]) apparet. Deinde vero ex Adami

47) A historical treatise on Trial by Jury, Wager of Law and other co-ordinate forensic institutions formerly in use in Scandinavia and in Iceland. London 1832 § 5, quem librum in vernaculum vertit sermonem F. I. Buss: Zur Lehre von dem Geschwornengerichte, Geschichtliches und Dogmatisches T. I. Freiburg 1835. pag. 18.

48) Hist. Eccles. l. II, c. 19: „Certissimum vero est, eum (Heraldum) tam nostro populo (sc. Hamburgensi), quam Transalbinis et Fresonum genti leges et jura constituisse, quae adhuc pro tanti auctoritate viri servare contendunt."

49) Glossar. Archaiologic. Lond. 1687 fol. sub voce: lex Saxonum.

50) Geograph. Raven. lib. IV, 17; cf. h. l. Cap. II, Not. 2, et Möller: Saxones pag. 19 sqq.

Bremensis loco nequaquam, omnes Saxones consequitur ab Heraldo leges accepisse, sed tantum Transalbinos, cum in nostra lege ita commemorentur et Ostfalai et Angari et Westfalai[61]), ut ea quin de tota valeat Saxonia nequeat dubitari. Quod vero praeterea contra Gaertnerum profert Reppius, hac in lege raro tantum christianae religionis fieri mentionem, non magis id potest offendere, quam quae inter legem et capitularia Saxonum haud raro invenitur discrepantia[62]). Capitularia enim et multo prius erant constituta[63]), et magis spectabant ad ecclesiae instituta quam lex, quae magis res civiles respicit et tum demum est composita, cum Saxones pertinaces prorsus erant subacti. Atque haec quidem sufficiant de auctore legis et de tempore, quo videatur esse conscripta. Eam vero quaestionem, utrum illa lex tota ad nos pervenerit, an qui supersunt tituli, ut nonnulli statuunt, nonnisi legis sint fragmentum quoddam, nunc quidem cum neque nostrae rei quiddam afferat commodi, neque omnino ad liquidum possit perduci, missam faciamus atque in id potius inquiramus, qui uti liceat hac lege in nostra disquisitione, et qua ratione quae veteribus Saxonibus propria fuerint, ab iis possint discerni, quae posterioribus debentur temporibus.

---

61) Cf. h. l. Cap. II, Not. 22.

62) Lex Saxon. Tit. III, § 5: „Capitis damnatus nusquam habeat pacem. Si in ecclesiam confugerit, reddatur." Cf. Capitulare Sax. Cap. 1: „Si quis confugium fecerit in ecclesiam nullus eum de ecclesia per violentiam expellere praesumat, sed pacem habeat donec ad placitum praesentetur: et propter honorem Dei sanctorumque ipsius reverentiam concedatur ei vita et omnia membra."

63) Alterum enim Capitulare Paderbrunnense, quod vulgo capitulatio de partibus Saxoniae vocatur, a. 785 alterum Capitulare Saxonum a. 797 constitutum est; cf. Mon. Germ. hist. T. III, p. 48 et 75.

Certis quoniam constat testimoniis[54]), pacem Caroli M. cum Saxonibus ea conditione esse conciliatam, ut Saxones patriis legibus ac libertate sub regiis comitibus missisque dominicis uterentur, id quidem statuendum videtur, principale hujus legis propriumque argumentum et quasi fundamentum consuetudines esse ac leges veterum Saxonum, easque tantum a Carolo M. esse mutata legique adjecta, quae quantum ex ceteris testimoniis conjicere licet, vel veteribus Saxonum moribus repugnant, vel necessitudinem quandam habent cum institutis Francorum. Huc omnia ea referenda sunt, quae vel ad christianam religionem vel ad regiam pertinent potestatem, quoniam utrumque ante Carolum M. Saxonibus fuit ignotum, ut tituli II § 8, 9. tit. III. § 1 et 5. tit. V, § 1. tit. XV, § 2. tit. XVII. tit. XVIII. Quod enim Eichhornius[55])

54) Poeta Saxo ad a. 803 (Mon. Germ. hist. I, 261):
„Nobilis hic annus longi certamina belli
Tandem Saxones inter Francosque peracti
Firmo perpetuae conclusit foedere pacis.
Augustus prius ad sedem Salz nomine dictam
Venerat: huc omne Saxonum nobilitate
Collecta, simul has pacis leges inierunt,
Ut toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem daemonica prius arte colebant
Decepti, post haec fidei se subdere vellent
Catholicae, Christoque deo servire per aevum.
At vero censum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors,
Sed tantum decimas divina lege statutas
Offerrent, ac praesulibus parere studerent,
Ipsorumque simul clero, qui dogmata sacra,
Quique fidem Domino placitam vitamque doceret.
Tum sub judicibus, quos rex imponerat ipsis,
Legatisque suis permissi legibus uti
Saxones patriis et libertatis honore.“

55) Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, T I. § 146.

totum arbitratur locum inde a titulo III. usque ad tit. V. leges continentem „de laesa dominatione, de furtis, de vi et incendiis“ a Carolo M. esse profectum, id minime est ab omni liberum dubitatione, neque quae ab eo sunt allata argumenta satis videntur esse firma. Inde enim quod in hujus legis codice Corbeiensi titulus III. lex Francorum est inscriptus, non videtur quidquam colligi posse, cum haec inscriptio ab ipso librario adjecta esse possit, quippe qui hujus tituli paragrapho 1 et 5 commotus, ubi revera rex Francorum et ecclesia commemorantur, totum facile sibi persuaserit titulum Caroli M. continere legem. Accedit, quod hanc inscriptionem cur omnium esse illorum trium titulorum putemus, nulla adest ratio justa, quam etiam ad omnes sequentes pertinere eodem sane possit jure contendi, id quod revera est a Spangenbergio[56]) factum. Alterum denique, quo Eichhornius nititur argumento, ut locum illum demonstret non esse Saxonicae originis, petitum illud ex legum illarum severitate, ne hoc quidem videtur quidquam probare, quum veterum Saxonum leges ad vindictam malefactorum constitutae ab aliis quoque scriptoribus magnis offerantur laudibus[57]).

Hos igitur titulos cum nequeat demonstrari totos a Francis originem duxisse, multo veri similius id videtur, immensam illam compositionis quantitatem nobilium ordini constitutae a Carolo M. esse profectam[58]). Nam ne hoc argumento utar, tantum compositionis nobilium et liberorum discrimen

---

56) Beiträge zu den deutschen Rechten des Mittelalters p. 181.

57) Einhard. ap. Adam. Brem. I, Cap. 5 et Translat. S. Alexandri C. 2: „Legibus etiam ad vindictam malefactorum optimis utebantur.“

58) Cf. E. Th. Gaupp: Das alte Gesetz der Thüringer p. 165

apud ceteros Germaniae septentrionales populos inauditum fuisse, id potissimum non videtur negligendum esse, vix potuisse a Carolo M., praeter alias, quibus usus est, meliorem eamque simpliciorem inveniri viam, qua efficeret, ut totius populi libertatem amissam suis amplificatis privilegiis facile ferret, nobilium ordo Francorumque instituta adjuvaret. Deinde vero haec compositionis quantitas capitularibus Saxonum lege prius factis prorsus repugnat, in quibus Saxonum libero duplum ejus quod lito constitutum est, nobili vero quadruplum[59]), cui tamen ex hac nostra lege ter quadruplum[60]) impositum est. His de causis veri non est dissimile, a Carolo M. esse hanc compositionis nobilium quantitatem constitutam anteaque similem inter Saxones atque ceteros Germaniae septentrionalis populos[61]) intercessisse rationem.

Et haec quidem sufficiant, quae in universum et de diversis legis nostrae argumentis disputavi et de ea, quae inde consequitur ratione, qua hanc legem in nostrum usum possimus convertere. De singulis quibusdam rebus huc pertinentibus in ipsa

---

59) Cf. Capitulatio de partibus Saxoniae Cap. XVIII: „Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizantur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum afferre contemserit, sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobili genere fuerit, CXX. solidos fisco componat, si ingenuus LX, si litus XXX." Cap. XIX, cf. Not. 68. et Cap. XX.

60) Cap. II. § 1: Qui nobilem occiderit MCCCCXL. sol. componat. § 3: „Litus occisus CXX sol. componatur. Mulcta vero vulnerum ejus per omnia duodecima parte minor, quam nobilis hominis solvatur."

61) Apud Frisios nobilis compositio triplum et liberi duplum erat compositionis liti; cf. lex. Fris. T. I, § 1, 3, 4 et Tit. II, § 1, 2, 3.

de Saxonum re publica disputatione accuratius dicetur.

De translatione S. Alexandri.

Jam commemoranda est brevis veteris Saxoniae descriptio, quae libro de translatione S. Alexandri a Ruodolfo a. DCCCLXIII scribi coepto atque haud diu post ejus obitum (a. DCCCLXV) a Meginharto exacto[62]) est praemissa Omitto exponere et de utriusque scriptoris vita, de qua fusius disseruit Pertzius[63]), et de eo, quem Ruodolfus exscripsit, hujus Saxoniae descriptionis auctore, de quo jam supra, ubi de Einhardo sermo erat, satis est disputatum, et id tantum dijudicetur, quae et quanta sit illus loci, qui congruit cum Adami Bremensis l. I. c. 4—6, in historia auctoritas. Cujus quum magna pars, utpote ex Taciti Germania ducta[64]) respici non possit, unus tamen potissimum

---

62) Mon. Germ. hist. II, 673.

63) Eod. I.

64) Cap. 1. „Generis ac nobilitatis suae providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, tanquam in tanto hominum numero, idem pene omnibus —,

Cap. 2. „Coluerunt enim eos qui natura non erant dii: inter quos maxime Mercurium venerabantur, cui certis die-

Cf. Tac. Germ, C. 4: „Jpse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos *nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem* exstitisse arbitrantur. *Unde habitus quoque corporum* quamquam *in tanto hominum numero, idem*: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae *comae, magna corpora*. —

Cap. IV. „Deorum *maxime Mercurium* colunt, *cui certis*

locus memoratu est dignissimus, quo Saxonum ordines ita disiunctos fuisse refertur, ut diversorum ordinum hominibus matrimonium inire ex lege non liceret, adeoque qui lege illa violata uxorem du-

---

bus humanis quoque hostiis litare consueverant. Deos suos neque templis includere, neque ullae humani oris speciei adsimilare ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos ac nemora consecrantes, deorumque nominibus appellantes, secretum illud sola reverentia contemplabantur. Auspicia et sortes quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant; mox, si publica consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse pater familias precatus, deos coelumque suspiciens, ter singulis tulit, sublatisque secundum inpressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultato: si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare, proprium gentis illius erat. Equorum quoque praesagia ac mo nitus experire, hinnitusque ac fremitus observare; nec ulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed etiam apud proceres habetur. Erat et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum evea-

diebus humanis quoque hostiis litare fas habent« — — „Ceterum nec cohibere parietibus *Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident*."

Cap. X. „*Auspicia sortesque* ut qui *maxime observant. Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae precatus Deos coelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio, sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur.* Et illud quidem etiam hic notum, *avium voces volatusque interrogare; proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. — hinnitusque ac fremitus observant. Nec alii auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres. — Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bello-*

xisset genere praestantiorem, capitis condemnaretur[65]). Qua in re quamquam illud offendere non potest, quod matrimonium inter liberos et servos lege illicitum fuerit, quippe quod etiam apud reliquas plerasque Germaniae gentes inveniatur[66]), hoc tamen profecto jam per se admodum sane debet mirum videri, quod liberorum ordo a nobilium ita fuerit disjunctus, ut Saxonum liber, qui nobilem uxorem in matrimonium duxisset, morte mulctaretur. Sed major etiam movetur dubitatio si reputamus, praeter Adamum Bremensem nonnullosque alios scriptores posteriores[67]), qui eodem usi sunt fonte, neque ab aliis veteribus scriptoribus hanc legem

---

tus explorare solebant; ejus quippe gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committere, et victoriam hujus vel illius pro judicio habere. Quomodo autem certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur, agendis rebus auspicatissimum initium crediderint, — praetereo.“ Cf. Pertz. Mon. Germ. hist. T. II. 674. sqq.

rum eventus explorant. Ejus gentis, cumqua bellandum es captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patriis quemque armis, committunt. Victoria hujus vel illius pro parejudicio accipitur.“

Cap. XI. „Coëunt — *certis diebus, quum aut inchoatur luna, aut impletur, nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.*“

65) C. I, „Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et liberorum, libertorum atque servorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriae sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, et liber liberam, libertus conjungatur libertae et servus ancillae. Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere praestantiorem duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat.“

66) J. Grimm: Deutsche Rechtsalterthümer. Göttingen 1828 p. 439.

67) Si auctor chronici Urspergensis p. 169.

commemorari, neque in Saxonum lege tale quid contineri. Quamquam enim in capitulatione de partibus Saxoniae conjugium prohibitum seu illicitum commemoratur[68]), tamen in ea neque constitutum est, capitis damnandum esse, qui ejusmodi conjuginm inierit, neque ita videtur accipiendum esse, conjugium prohibitum ut diversi ordinis matrimonium significet. Potius significare videtur stuprum et adulterium. Huc accedit, quod Wittechindus, qui religiositate quadam atque veritatis studio annales suos conscripsit, cum hac Saxoniae descriptione, ut verisimile est[69]), uteretur, hunc locum quidem sicut alterum etiam, quem veritati prorsus adversari ex omnibus ceteris testimoniis constat[70]), consulto videtur omisisse. Immo in Saxonum quoque posteriorum legibus ut in speculo Saxonico[71]) et in Anglosaxonum legibus[72]) loci inveniuntur, quibus neque apud Saxones posteriores, neque apud Anglosaxones diversorum ordinum matrimonia prohibita fuisse demonstratur. Itaque loci illius auctoritas, quamvis his de causis non plane tollatur, tamen in suspicionem vocanda videtur. Praeter hunc locum et illum de origine Saxonum modo

---

69) Cap. XIX: Si quis prohibitum vel illicitum conjugium sibi sortitus fuerit, si nobilis solidos LX, si ingenuus XXX, si litus XV componat.

69) Cf. pag. 33.

70) Translat, S. Alexandri c. I: „Saxonum gens, sicut tradit antiquitas, ab Anglis Britanniae incolis egressa."

71) L. III, 73 § 1; cf h. 1 Cap. III, Not. 15.

73) Leges Henrici I, c. 77 (ap. Canciani 401 b): „Si quis de servo patre natus sit et matre liberâ, pro servò reddatur occisus; si pater sit liber et mater ancilla, pro libero reddatur occisus." Cf. J. Grim. Deutsche R. A. p. 324.

allatum, quae de veteribus Saxonibus Translationi S. Alexandri praemissa sunt, ita ceteris testimoniis rerumque naturae conveniunt, ut vix ulli sint dubitationi obnoxia.

De Vita S. Lebuini.

Sequatur Vita S. Lebuini [73]) unius ex primis Saxonum apostolis decimo saeculo ab Hucbaldo monacho composita, qua singularis de publico Saxonum conventu notitia continetur. Qui Hucbaldus quamvis nos fugiat, unde quae de rebus Saxonicis referat praeter unum locum[74]), cujus fons Nithardus[75]) fuisse videtur, duxerit, recte tamen jam Pertzius monuit, probum sine dubio et verum scriptorem eum esse censendum. Quum enim in reliqua operis sui parte, quae ex fontibus nobis cognitis hausit atque in usum suum convertit, vere et accurate iis sit usus, neque narrationem nisi piis contemplacionibus verborumque ornatu ampliaverit, ea vero quae de Saxonicis rebus tradat, nulli ceterorum testimoniorum adversentur, non est, cur ejus fides in dubitationem vocetur. Idem fere judicium faciendum est

De Wittechindo monacho Corbeiensi.

Qui genere Saxo[76]) Ottone I. in Germania regnante vixit et praeter alia opera de gestis Saxo-

73) Mon. Germ. hist. T. II p. 360.

74) Mon Germ. hist. T. II, p. 361: sed erat gens ipsa, sicuti nunc usque consistit, ordine tripartito divisa Sunt. denique ibi, qui illorum lingua edlingi, sunt qui frilingi, sunt qui lassi dicuntur quod in latina sonat lingua, nobiles, ingenuiles, atque serviles.

75) Cf h. l. p. 12.

76) Quod patet ex initio libri primi annalium: „Post ope-

num scripsit libros III.[77]) Quibus quamquam Henrici I. potissimum atque Ottonis M. res gestas usque ad annum DCCCCXXXVII enarrat scriptor, priore tamen libri I. parte historiam etiam antiquiorum Saxonum tractavit, neque solum de origine et derivatione nominis Saxonum et de expeditione eorum in Britanniam suscepta et de bellis, quibus una cum Francis conjuncti Thuringos superarunt, sed etiam de moribus Saxonum eorumque rebus publicis pauca exposuit. Quibus quidem in rebus expediendis famam potissimum sese secutum esse ipse fatetur Wittechindus[78]), verum etiam certis usus est fontibus, quibus primum jam supra memoratum esse adnumerandum videtur Bedam Venerabilem. Qui cum et praestantissimus et celeberrimus esset Anglosaxonum scriptor, ejusque opere ea contineantur, quae Wittechindus historiae Anglosaxonum, quam ipse laudavit[79]) attribuit, conjici posse videtur, Wittechindum, ubi historiam Anglosaxonum commemorat, de Bedae imprimis opere loqui,

---

rum nostrorum primordia, quibus summi imperatoris militum triumphos declaravi, nemo me miretur principium nostrorum res gestas literis velle commendare, quia in illo opere professioni meae, ut potui, quod debui exsolvi; modo generis gentisque meae devotioni, ut queo elaborare non effugio.“

77) Cf. Meibom. Vita Wittechindi (Scriptt. rer. German I. p. 624.)

78) Lib. I, (Meibom. scr. rer. Germ. I, p. 629): „et primum quidem de origine statuque gentis pauca expediam, solam paene famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante.“

79) L. I. (Meibom. I. l. I. p. 630): „de quibus omnibus, si quis plenius scire voluerit, historiam gentis ejusdem (sc. Anglosaxonum) legat, et ibi inveniat, quomodo, aut sub quibus ducibus, haec omnia acta sint, vel qualiter ad Christianitatis nomen per virum suis temporibus sanctissimum, Papam videlicet Gregorium pervenerint.“

quamvis alia Anglosaxonum opera ei ignota fuisse, contendi non possit. Cui opinioni nullo modo videtur id obstare, quod verba, quae Wittechindus de expeditione Saxonum in Britanniam suscepta facit, in Bedae opere frustra quaeruntur. Neque enim ut collectis undiquae narrationibus novum opus componeret, priores scriptores Wittechindus videtur exscripsisse, sed ut suae aetatis suaeque gentis historiam vere perscriberet, eos quatenus ad consilium operisque rationem pertinebat, auxisse atque emendasse, ita ut id modo ipsum, quod vel fama vel alia ratione acceptum apud Bedam non invenit, enarrare posset. Expeditionis autem in Britanniam factae quoniam paucis tantum mentionem facit, quum quos Anglosaxonum scriptores cognosset, non multum intersit scire, gravioris tamen momenti ea est quaestio, unde derivata sint, quae de bellis Saxonum adversus Thuringos gestis tam copiose narravit. Cui tamen quaestioni vix potest probabiliter satisfieri, cum neque ipse scriptor fontem quemquam laudaverit, neque ullus inveniatur antiquior scriptor, qui de illis bellis fusius exposuerit. Gregorius enim Turonensis quamquam idem bellum, quod Franci contra Thuringos gerebant, enarrat[80], nonnullisque in rebus cum Wittechindo quam maxime consentit, ille tamen, quippe qui a partibus sui populi steterit, Saxones hujus belli participes fuisse plane ignorat, atque in causis belli explicardis singulisque aliis rebus enarrandis ita a Wittechindo differt, ut hoc Wittechindum usum esse auctore vix liceat concludi. Verisimilius videtur Einhardi liber de gestis Saxonum, cujus fragmenta Meginhartus et Adamus Bremensis asservarunt, Wittechindo cognitus fuisse. Etiamsi enim non modo quae de illis bellis in istius fragmentis inveniuntur, Wittechin-

80) Lib. III, C. 4—8.

dus, latius exponat; sed nonnulla etiam, quae prorsus falsa in iis narrata sunt [81]), omittat, atque alia adjiciat, in nulla tamen majoris momenti re ei repugnat, ita ut nihil impediat, quominus Wittechindum Einhardi narrationem et emendasse nonnullisque rebus fama traditis auxisse statuamus. Praeterea Wittechindus, ubi de Saxonum expeditione, quam cum Longobardis in Italiam susceperunt, loquitur, historiam laudat Longobardorum [82]), quod procul dubio opus est Pauli Diaconi de gestis Longobardorum, qui Longobardus natione diutius versatur in illa expeditione enarranda [83]); deinde ubi Francorum et Saxonum diversae fidei mentionem facit, Gesta Francorum [84]), et ubi de Avarorum origine loquitur, Jornandem [85]) commemorat. Atque Gesta quidem Francorum pro Einhardi scriptis habenda esse, certis non potest demonstrari argumentis, magnam tamen id propterea prae se fert verisimilitudinis speciem, quod et in Einhardi Vita Car. M. et in ejus Annalibus Francorum bella con-

81) Cf. h. l. Cap. 1, Not. 70.

82) Lib. I, (Meib. l. l. I, p. 634): „Suahi vero Transbordani illam, quam incolunt, regionem, eo tempore invaserunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adiere, ut eorum narrat historia, et ideo aliis legibus, quam Saxones utuntur.„

83) L. II, C. 6, (ap. Muratori scriptt. rer. Italic. T. I, p. 428); cf. h. l. introd. Not. 4.

84) Lib. I, (Meibom. l. l. I, p. 634): „Igitur Saxones variam fidem Francorum experti, de quibus non est dicendum, cum in eorum gestis inveniatur scriptum, paterno errore obligati sunt.“

85) Eod. I: „Avares autem, ut quidam putant, reliquiae erant Hunorum. Huni egressi sunt de Gothis, Gothi autem de Inanda, ut Jordanus narrat, nomine Sulza egressi sunt.“

tra Saxones gesta eorumque diversa fides quam copiosissime narrantur. Haec fere sunt, quae de fontibus, quibus Wittechindus in veteriorum Saxonum historia explicanda usus sit, possint explorari. Quod si de usu fontium quaeritur et quanta omnino Wittechindo tribui possit auctoritas, fidus certo ac religiosus scriptor est censendus. Etenim quae fama comperta habebat, non solum nunquam pro veris tradit[86]), sed lectoris etiam judicio committit, quantum fidei enarratis ejusmodi rebus tribuere velit[87]). Quae vero pro certis refert, ea neque aliis probis testimoniis neque temporum rationi rerumve naturae adversantur; ita ut Wittechindum si tanquam ejusmodi scriptorem laudamus, quo vix quisquam majoris in nostra disquisitione auctoritatis inveniatur, neminem hac in re speremus esse offensurum.

Haec quidem sufficiant de fontibus. Nam de Adamo Bremensi, qui prae ceteris in Saxonicarum rerum fontibus numerandus est, non solum a Stenzelio[88]) et Asmussenio[89]), sed etiam supra a nobis ita jam disputatum est, ut vix quidquam addi possit. Itaque hunc quidem omittimus sicut tum inferiores rerum Germanicarum scriptores, qui quae in antiquoribus invenissent scriptoribus, multis

86) Addit enim accurate vel: „nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus — aliis autem aestimantibus“ vel „fuerant autem qui tradant“ vel „pro certo autem novimus.“

87) Lib. I, (ap. Meib. l. l. p. 633): „si qua fides his dictis abhibeatur penes lectorem est.“

88) Geschichte Deutschlands unter den Fränkischen Kaisern. T. II. p. 95.

89) De fontibus Adami Bremensis comment. Kiliae 1834.; cf. Lappenberg in: Göttingische gelehrte Anzeigen 1834. N. 105.

omissis, paucis passim iisque ambiguis additis rescribebant, veluti Annalista Saxo, auctor chronici Urspergensis et alii, tum eos fontes, quibus tam pauca continentur, ut in ipsa de Saxonum rebus publicis dissertatione eos sufficiat afferre. Huc referenda sunt Caroli M. capitularia Saxonum et complures annales, quibus ceterorum scriptorum testimonia minus augentur quam comprobantur.

Cap. II.

DE TERRA SAXONICA EJUSQUE DIVERSIS PARTIBUS.

Saxones medio saeculo secundo in Jutiae meridiana parte septentrionem versus ab ostio *Albis* sita habitasse tradunt Ptolomeus 1), qui primus Saxonum mentionem facit, et Geographus Ravennas 2). Quae quidem terra, quod antiquissima, ut memoriae traditum est, Saxonum in Germania fuit sedes, in eo causam sibi videntur invenisse nonnulli recentiores scriptores 3), cur a plurimis veteribus scriptoribus Saxonia fuerit vetus appellata, At neque fere Saxonum in Germania sedes ita nominantur nisi a Britanniae scriptoribus 4), qui antiquos Saxones, Saxonibus opponunt in Britanniam transvectis, neque ex iis testimoniis illas tantummodo Jutiae regiones consequitur antiquam Saxo-

---

1) Geogr. lib II, c, 11: „*Εἶτα Καῦχοι οι μἐιζους μέχρι τοῦ Αλβιος παταμοῦ, ἐφεξῆς δὲ ἐτὶ τὸν αὐχένα τῆς κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες, αὐτὴν δέ τὴν χερσνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας κατέχουσι Σεγόυλονες.*“ —

2) Lib. IV, 17 (cf. Leibnit. scriptt. rer. Bruns. T. I, p. 29): „Confinalis praenominatae Daniae est patria, quae nominatur Saxonia, quae antiquitus et ipsa ex Dania pertinere dicebatur. Quae patria, ait Marcus — Mirus Gothorum Philosophus, doctissimos quidem proferre homines et audaces, sed non sic veloces, ut sunt Dani qui juxta Dina (i, e. Eidoram) fluvium.“

3) I. Möller: Saxones pag. 16.

4) Beda l. l. lib. V, c. 10: „duo Presbyteri de natione Anglorum — venerunt ab provinciam antiquorum Saxo-

niam esse nuncupatas[5]). Hinc Saxones et meridiem et occidentem versus paullatim ita sedes suas amplificarunt, ut duobus imprimis populis, Saliis Francis[6]) et Thuringis[7]) vel expulsis vel subactis jam medio saeculo sexto terras in septentrionali Albis littore atque hunc fluvium inter et Visurgim sitas tenerent[8]) et exeunte saeculo sep-

num.« — Lib. V, c. 11. „Suidbert, accepto episcopatu, de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuarorum secessit. — Sed expugnatis non longo post tempore Boructuariis a gente antiquorum Saxonum dispersi sunt quolibet hi, qui verbum receperunt.« — Fab. Ethelwerdi chron. lib I, (ap. Savile Rer. Anglic, Script. post Bedam praecip. p. 833): „Quippe de Saxonia, que nunc vulgo Ealdsexe nuncupatur i. e. Saxonia vetus, venere — Eastsexan et Sutsexan et Westsexan, hoc est (secundum Latinos) Orientales, Australes et Occidentales Saxones.« — Rogeri de Hoveden annaliumpars prior (ap. Savile l. l. p. 409): „Saxonum antiqui, unde gens Anglorum descendit.«

5) Immo ex Bed. l. l. lib. V. c. 11, patet, etiam eos Saxones, qui Visurgim inter et Albim habitabant, antiquos esse appellatos, cum ab iis Boructuarii, qui juxta Luppiam habitabant, expugnarentur. Neque probari potest argumentum, quod ut meridianam Jutiae partem antiquam Saxoniam nuncupatam esse demonstretur, de Lebedur (l. l. l. p. 271 not. 878) petit ex posteriore illarum regionum nomine Holsatia i. e. Oltsachsen; num enim vocula Hol significet Alt et Satan Sachsen, magna versatur in dubitatione; cf. G. Philips: deutsche Geschichte. Berol. 1832. T. I. p. 366. sqq.

6) Zosim. hist. III, 6: „τὸ Σαλίων ἔθνος Φράγκων ἀπόμοιρον, ἐκ τῆς οἰκείας χώρας ὑπὸ Σαξόνων εἰς ταύτην τὴν νῆσον (sc. Βαταβίαν) ἀπελαθέντας.“ — Cf. Wersebe: über die Völker und Völkerbündnisse des alten Teutschlands Hannov. 1816 p. 89–90 et de Lebedur l. l. p. 66. not. 283.

7) Cf. h. l. introd. not: 5.

8) Patet id ex Saxonum bellis cum Chlotario I. inde ex anno 553 gestis; cf. I. Möller: Saxones p. 33. not 89

timo[9]) Boructariis, qui illo tempore juxta Lupiam habitabant[10]) expugnatis, fere ad Rhenum usque fines suos extenderent. Qui quidem fines quibus singulis bellis et contra Francos diversis temporibus et contra Thuringos ceterosque confines populos gestis et qua ratione per plura saecula mutati sensim amplificati sint, omitto hic exponere, cum praeter ea, quae de istis bellis a Möllero[11]) accurate collecta atque enarrata sunt, vix quidquam apud veteres scriptores invenias. Ii tantum hic describantur fines, quibus proximis illis ante Carolum M. temporibus, cum duplo[12]) jam major esset quam terra a Francis orientalibus habitata totamque fere Germaniam septentrionalem contineret, Saxonia erat circumscripta.

In septentrione, ubi confines habebant Nordmannos, Saxones terram usque ad Eidoram[13]) flu-

---

9) Cf. v. Lebedur l. l. p. 280. not 900;

10) v. Lebedur. 1. l. p. I. spp. et B. Sökeland: über die Verhältnisse und Wohnsitze der deutschen Völker zwischen Rhein und Weser etc. Münster 1835 p. 14 et 58 sqq.

11) Saxones p. 30—45.

12) Einh. Vita C. M. c. 15: „Saxoniam, quae quidem Germaniae pars non modica est, et ejus, quae a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis."

13) Geograph. Ravenn. lib. IV, c. 17; cf. h. c. not. 2.; cf. Adam. Brem. L. II, c. 8, qui de posterioribus Saxoniae septentrionalibus finibus haec refert: „Et quoniam occasio locorum se praebuit, utile videtur exponere, quae gentes trans Albiam Hammaburgensis Ecclesiae pertinentes sint parochiae. Haec clauditur ab occidente Oceano Britannico, a meridie Albia fluvio, ab Oriente Pene fluvio, qui currit in mare Barbarum. Ab Aquilone vero Egodore fluvio, qui Danos dirimit a Saxonibus."

vium, ac circiter inde a Trava[14]) usque ad Visurgim tota et Baltici et Germanici maris littora tenebant. In oriente ab Obodritis[15]), Sorabis[16]) aliisque Slaviae populis dirimebantur Albi et Sala[17]) fluviis, quorum a sinistris ripis occidentem versus usque ad Rhenum[18]) fere pertinebant. Ibi affines habebant Frisios et Francos. In meridie autem ab iisdem Francis et Thuringis distinebantur Unstrota fluvio.

---

14) Ptolom. Geogr. II. 1: Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλουσοῦ ποταμοῦ (i. e. Trava) μέχρι τοῦ Σουήβου ποταμοῦ Φαροδῆνοι.

15) Translatio S. Alexandri (Mon. Germ. hist. T. II, p, 674): „A meridie quidem Francos habentes (sc. Saxones) et partem Thuringorum quos praecedens hostilis turbo non tetigit, et alveo fluminis Unstrotae dirimuntur. A septentrione vero Nordmannos gentes ferocissimas. Ab ortu autem solis Obotritos, et ab occasu Frisos a quibus sine intermissione vel foedere vel concertatione necessario finium suorum spatia tuebantur."

16) Adam. Brem. I. C. 2: „praeter eam partem Saxoniae, quae trans Albiam supra incolitur a Sorabis, infra autem a Nordalbingis." Cf., Einhard. Vita Car. M. c. 15: „ad Salam fluvium, qui Thuringos et Sorabos dividit." Einhard. annal. ad a. 782: „quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim et Salam interjacentes incolunt, in fines Thuringorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, praedandi causa fuissent ingressi."

17) Adam: Brem. l. l. I, C. 2: „Secundus (sc. angulus Saxoniae) vero inchoans a maritimis Hadelohe regionis, longo secus Albiam limite protenditur in orientem usque ad Salam fluvium."

18) Poeta Saxo ad a. 772:

„Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostvalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter praedictas media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius."

Tota his finibus circumscripta terra divisa es in Westfaliam[19]), quae fuit occidentalis pars, in t. r Frisiorum et Francorum fines et Amisiam[20] sita, in Ostfaliam partem orientalem, Angariam, quae medias continebat regiones, et Nordalbingiam[21]), i. e. Saxoniae partem trans Albim septentrionem versus sitam, quae a multis etiam scriptoribus pro Ostfaliae[22]) parte habetur. Quae quidem Saxoniae partes, quamquam tum demum existere poterant[23]), cum Saxoniae fines trans Visurgim et Amisiam erant propagati, divisio tamen Saxonum in tres partes Wesfalos, Ostfalos et Engeros jam antiquissimis temporibus videtur fuisse usitata. Etenim tum quinto jam saeculo eam in tres partes Saxonum divisionem ex Saxonia in Britan-

19) Cf. h. c. not. 18. De significatione vocabulorum Westfaliae et Ostfaliae cf. Grimm in Wigand: Archiv für Geschichte und Althumskunde Westfalens T. I. H. 3. p. 78. sqq. et Phillips: Deutsche Geschichte T. I. p. 369 spq.

20) Adam. Brem. l. l. lib. I. c. 11; „Quartus ex magnis Saxoniae fluminibus est Emisa, qui Westfalos a reliquis illius provinciae dirimit populis." — Annal. Einhard. ad. a. 783: „(Carolus) audivit Saxones in finibus Westfalaorum super fluvium Hasam ad hoc congregari, ut ibi cum eo, si venisset, acie confligerent."

21) Adam. Brem. l. l. lib. I. c. 1: „praeter eam partem Saxoniae, quae trans Albiam infra incolitur a Nordalbingis." Transalbingi etiam Nordleudi, Nordliudi appellantur annal. Lauresh. ad. a. 798 (mon. Germ. hist. I. 184): Nordliudi trans Albim sedentes," sive Nordalbiani, Einh. ann. ad. a. 804: „pagos transalbianos Abodritis dedit (sc. Carolus m.),"

22) Poeta Saxo ad a. 772. cf. h. c. not 18. — Wittechind. annal. I. cf. h. l. c. I. not. 37.

23) In annalibus haec divisio primum ocurrit a. 775 cf. Einh. annal. ad h. a.

niam videmus traductam[24]), tum singulis quoque legibus tres illas populi partes inter se diversas[25]).

Quod denique pertinet ad terrae rationem atque naturam, praeter leviorem Adami Bremensis locum, nihil quantum sciam ex illis temporibus ad nostram usque pervenit cognitionem, quod ad explicandam Saxonum rerum publicarum rationem quidquam conferat. Dico autem locum hunc[26]): „Saxonia viris, armis et frugibus inclyta, excepto quod raris intumescit collibis. Tota vero declivis in planiciem consideratur, sola caret vini dulcedine, alia omnia fert usui necessaria. Ager ubique fertilis, compascuus et sylvestris. Qua Thuringiam accedit, aut Salam vel Rhenum fluvios, ibi prorsus opimus. Caeterum juxta Fresiam palustris et aridus, prope Albiam degenerat aliquantum. Jucunda ubique, nec mirum, cum oportuna provinciam riget amnium copia. Nobilissimi Saxoniae fluvii sunt Albis, Sala, Wisura, qui et Wirraha nuncupatur. Is in Thuringiae saltu fontem habet, quemadmodum et

---

24) Beda I, 14 cf. h. l. introduct. not. 2.

25) Lex Saxonum Tit VIII, § 1: „Dotis ratio duplex est Ostfalai et Angrarii volunt: Si foemina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quam diu vivat filiisque dimittat. § 2: Si vero filii matre superstite moriuntur, ipsaque post obierit, dotem proximi ejus in haereditam accipiant. § 3: Si autem filios non habuerit, dos ad dantem si vivit, revertafur, si defunctus est, ad proximos heredes ejus. § 4: Apud Westfalaos, postquam mulier filios genuerit, dotem amittat, si autem non genuerit, ad dies suos dotem possideat, post decessum ejus, dos ad dantem, vel si deest, ad proximos haeredes ejus revertatur."

Tit. IV.: „de eo, quod vir et mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat: hoc apud Westfalaos. Apud Ostfaloset Angarios nihil accipiat, sed contenta sit dotc sua."

26) Hist. eccles. I, 1—2.

Sala: deinde mediam cursu pertransiens Saxoniam in vicino Fresonum sortitur oceasum. Verum maximus Albis, qui nunc Albia nomen habet, etiam Romanorum testimonio praedicatur, cujus ortum ferunt trans Bohemiam; mox Slavos dirimit a Saxonibus. Juxta Magdaburg in se recipit Salam fluvium, nec longo a Hammaburg ipse Albia mergitur in Oceannum. Quartus ex magnis Saxoniae fluminibus est Emisa, qui Westvalos a reliquis illius provinciae dirimit populis. Isque oritur in saltu Paderburnensi; currit autem per medios Fresonum terminos in Oceanum Britannicum.“

Cap. III.

DE SAXONUM ORDINIBUS.

Saxonum sicuti reliquorum omnium Germaniae populorum duo sunt ordines, liberi et servi: quorum alteri populum efficiebant Saxonicum, servi vero, qui bello et expugnationibus asciti proprie non erant Saxonicae originis, ab nonnullis scriptoribus[1]) non habentur pro peculiari Saxonum ordine. Ac servorum quidem plura genera ante Caroli M. tempora non discernuntur, liberorum tria commemorantur: adelingi sive nobiles, frilingi sive ingenui[2]) et liti sive liberti[3]). Nostris quidem temporibus haec quam modo dixi-

1) Wittechind. annal. lib. I. (apud Meibom. scriptt. rer. Germ. p. 634): „unde usque hodie gens Saxonum triformi genere ac lege praeter conditionem servilem dividitur." — Vita S. Lebuini (Mon. Germ. hist. II, 361): „Sed erat gens ipsa sicuti nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt denique ibi, qui illorum lingua edlingi, sunt qui frilingi, sunt qui lazzi dicuntur, quod in latina sonat lingua nobiles, ingenuiles atque serviles." — Nithard. hist. lib. IV, c. 2. (Mon. Germ. hist. T. II, p. 668) cf. h. l. Cap. I, p. 16.

2) Perspicuitatis causa usquequaque hic ingenuos a liberis ita discernimus, ut liberi servis opponantur sive nobiles sunt sive liti, ingenui autem singulare liberorum genus dicantur, nobilibus et litis oppositum. Quivis ingenuus igitur item est liber, nec tamen qui liber est, semper ingenuus: in quo tamen notandum, apud medii aevi scriptores discrimen istud non observari et utrumque vocabulum alterutri notioni exprimendae pariter adhiberi.

3) Einhard. apud Adam. Brem. I, 5: „Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et liberorum, libertorum atque servorum"; cf. Transl. S. Alexandri c. I.

mus liberorum divisio in dubitationem vocata est a viris doctis permultis, quarum alii, in iis Ludenius[4]), nobiles inter Saxones contendere ante Caroli M. tempora extitisse nullos, alii[5]) iique plurimi libertos negavere ad liberorum pertinuisse ordinem. Quam sententiam utramque probabiliter demonstrari potest non satis certo niti fundamento. Nobiles enim quod attinet, Nithardi, Vitae Lebuini, Wittechindi et Adami Bremensis auctoritatem, qui omnes Saxonum exstitisse nobiles narrant, satis confirmant tum Annales Francorum, in quibus cum Caroli M. bella cum Saxonibus gesta enarrantur, optimates et primores diserte a reliquo populo Saxonico disjunguntur[6]), tum poeta Saxo[7]), qui Carolum M. narrat Saxonum nobiles a. DCCCIII convocasse, cumque iis de pace conciliLanda egisse. His duobus accedunt testimonia legis Saxonum[8]), Capitularis Paderbornensis a. DCCLXXXV[9]) et Capitularis Saxonum a. DCCXCVII[10]), in quibus

4) Geschichte des teutschen Volkes. T. V, pag. 39 et p. 302 seqq.

5) Grimm: Deutsche Rechtsalterthümer p. 308. Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte T. I, § 49.

6) Einhard. annal. ad a. 775 „Hessi unus ex primoribus Saxonum cum omnibus Osfalais — Angarii cum suis primoribus", ad a. 777 „Widichindum, unum ex primoribus Westfalaorum" — annal. Lauriss. ad a. 775. „Angarii — una cum Brunone et reliquis optimatibus."

7) Ad a. 803 (Mon. Germ. hist. I, 261):
„Augustus prius ad sedem Salz nomine dictam
Venerat: huc omni Saxonum nobilitate
Collecta; simul has pacis leges inierunt."

8) Tit. I, § 1, Tit. II, § 1 etc. de nobili, Tit. XVII de libero, Tit. II, § 3 etc. de lito sermo est.

9) Cap. XVI: „Similiter secundum Dei mandatum praecipimus, ut omnes decimam partem substantiae et laboris sui, ecclesiae et sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter et liti", cf. Cap. XVIII, XIX, XX etc.

10) Cap. V: „Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, sol. IV componat, ingenui II, liti I."

haec liberorum distributio in nobiles, ingenuos et litos omnium compositionum constituendarum fundamento est. Possit quidem forsitan horum, quae ultimo loco posui testimoniorum ita sibi quispiam videri diluere auctoritatem, ut iis propterea nondum exagitari dicat Ludenii sententiam, qui nobilium ordinem a Carolo M. institutum esse arbitratur, quia ab iisdem fontibus alia quoque Caroli M. instituta, veluti christiana religio commemorantur. At vero ne unus quidem eorum scriptorum, qui Caroli M. instituta commemorant, quicquam de nobilium ordine ab eodem instituto tradit, idque unum tantummodo cognitum habemus, Carolum M. Saxonum nobiliores donis sibi atque honoribus illatis conciliare studuisse [11]), Saxonibusque cum christiana religione recepta comites sibi ex Francorum more missosque dominicos praefici concessissent, instituta atque patrum leges esse largitum [12]). Deinde vero in Capitularibus illis et in lege Saxonum institutiones novae facile possunt ab iis discerni, quae usu erant receptae. Etenim cum fere in poenis versentur contra eos constituendis, qui ad antiquam rerum conditionem studeant redire, plerumque fit, ut novae istae institutiones, imprimis christiana religio antiquitus receptis opponantur. Ordinum vero discrimen in iis nonnisi tanquam usitatum quiddam et a majoribus acceptum atque eatenus tantum commemoratur, quatenus eo diversa compositionum ratio nititur. Praeterea vero neque

11) Poeta Saxo ad a. 803 (Mon. Germ. hist. I, 261); cf. h. l. Cap. I, Not. 27. — Annal. Laureshamm. ad a. 782 (Mon. Germ. hist. I., 32); cf. h. l. Cap. I, Not. 26.

12) Caroli M. diploma in constituendo episcopatu Bremensi a. 788 datum apud Adam. Brem. hist. eccles. I, 10: „noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos bellis vicimus et ad baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinae libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos — addiximus.“ — Poeta Saxo ad a. 803; cf. h. l. Cap. I., Not 34.

Carolum M. qui nonnisi vehementissimo atque acerrimo triginta fere annorum bello christianam ut reciperent Saxones religionem efficere potuit, ejusmodi institutionem, ignotam illam usque populo credibile est ausurum fuisse Saxonibus imperare, neque Saxones eam, si tamen ausus esset, ab eo, quem studere libertatem suam delere sentiebant, tam facile accepturos fuisse. Quae cum ita sint, nobilium ordinem jam ante Caroli M. tempora exstitisse extra omnem videtur dubitationem positum esse, etsi concedi sane potest, jura et privilegia eorum non videri fuisse adeo magna. Litos vero quod attinet, ii quidem proprie Saxones non erant, neque capta a Saxonibus terra immunem habebant fundi possessionem, sed tributarii erant, attamen quae sunt tria gravissima libertatis signa, a) libertas personalis quae vocatur, b) jus militiae et faidae, c) concionum societas, eorum ii quoque participes erant, id quod infra, ubi de litis explicatius dicetur, demonstraturi sumus.

De mutua quae inter ordines istos intercesserit ratione fere nihil certi cognitum habemus. Adamus Bremensis [13]) Einhardi auctoritate nisus lege apud Saxones sancitum esse narrat, ut qui ex diversis ordinibus conjugium inirent, morte mulctarentur: unde Saxonum ordines consequeretur ejusmodi tribus fuisse, quas nos Kasten dicimus. At vero hujus quidem loci sententia admodum dubia est [14]): imo si reputamus neque in antiquiore ulla Saxonum lege ejus rei mentionem esse injectam, et in speculo Saxonico [15]) ita de conjugiis inter ingenuos et pa-

13) Adam. Brem. I, c. 5 cf. h. l. Cap. I, Not. 65.

14) Cf. h. l Cap. I, pag. 32.

15) Lib. III, 73, § 1: „Nimt aver en vri scepenbare wif enen biergelden oder enen landseten, unde wint sie kindere bi ime, die ne sint ire nicht evenburdich an bute unde an weregelde, wende si hebben irs vader recht unde nicht der muder.“

ganos (Biergelden,) qui eadem fere atque liti jura habebant, pactis sermonem institui, ut posteriore certe tempore ejusmodi conjugia minime fuisse illicita necessario consequatur, — haec igitur si reputamus non sine probabilitatis specie quadam colligi posse videtur, ejusmodi legem ad nobilium certe atque ingenuorum ordines omnino non pertinuisse, neque ad ceteros si pertinuerit, ea severitate exercitam esse. Ceterum ordines hereditarii[16]) erant et ita sejuncti, ut ad altiorem ordinem evehi masculus Saxo nonnisi apud servos potuerit manumissione[17]): neque enim majoris vel ordinis praestantioris fundi acquisitione altioris ordinis jura assequi licuit, quia possessionum masculino sexui obveniebat haereditas[18]), eaeque raro tantummodo poterant alienari[19]), neque diversorum ordinum conjugiis, quia liberi ex ejusmodi matrimonio nati, ei adscribebantur ordini, ad quem inferioris ordinis parens pertinebat[20]). Contra vero ex speculo

16) Spec. Saxon. Lib. I, 16, § 1: „Nieman ne nach irwerven auder recht, wan als im an geboren is. Versmat aver he sin recht vor gerichte und seget he ime to en ander recht, des he nicht vulkomen ne kan, he verlüset beide.“ — §. 2: „Svart kint is vri unde echt, dar behalt it sines vader recht. Is aver die vader oder de muder dinstwif, it kint behalt sogedan recht, als it in geboren is.

17) Spec. Saxon. Lib. I, 16, § 1: „Sunder de egene man, den man vri let, die behalt vrier lantseten recht.

18) Lex. Sax. Tit. VII, § 1: Pater aut mater defuncti filio, non filiae haereditatem relinquit.“ § 8: „Qui filiam ac filium genuerit et mortuus fuerit, haereditas patris ad filium filii, id est, nepotem, non ad filiam pertineat.“ — Spec. Saxon. Lib. I, 17, § 1: „Vader unde muder, süster unde bruder erve nimt de sone unde nicht de dochter.“

19) Lex. Sax. Tit. XV § 2: „Nulli liceat traditionem haereditatis suae facere, — ut haeredem suum exhaeredem faciat.“ § 3: „Nisi forte famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur, mancipia liceat illi dare ac vendere.

20) Spec. Sax. Lib. III, 73, § 1; cf. h. l. C. III, Not. 13.

Saxonico[21]) intelligitur, ordinum jura nonnunquam deleri potuisse, etsi qua id conditione fieri potuerit, accuratius definire non licet. Hactenus de ordinibus in universum. De singulis ordinibus haecce adjiciantur.

De Nobilibus.

Nobilium ordinem apud Saxones jam ante Caroli M. tempora exstitisse supra demonstratum est. Num vero hic ordo jam antiquissimis temporibus statuendus videatur, fortasse jam ante quam in Germaniam migraverunt Saxones, quae est H. Leonis[22]) sententia, qui Edilingos arbitratur regias esse familias ab Odino originem suam ducentes, an posterioribus demum temporibus in Germania ortus sit, in incerto relinquitur. Tametsi vero nobilium historiam inde ab ejus origine repetere non licet, tamen si eorum potentiae consideramus incrementa, quae inde ab initiis primis per plura saecula augeri videmus: veri admodum simile est eos non liberorum proprium ordinem fuisse, sed ita esse ortos, ut sensim sensimque ab ingenuis sese disjunxerint. Hinc est, quod omnia jura nobilium ordini communia erant cum ingenuis; ille vero excellebat et ampliore haud dubie possessione, et compositione majore. Compositionem tamen quod attinet, discrimen tantum inter nobiles atque ingenuos non videtur intercessisse, quantum traditum est in Saxonum lege[23]). Imo eadem videtur compositionis ratio nobilium et ingenuorum fuisse,

---

21) Spec. Sax. Lib. I, 16, § 1 cf. h. l. C. III, Not 16.

22) Lehrbuch der Geschichte des Mittelalters. Halle, 1830, pag. 948.

23) Secundum legem Saxonum lito duodecima pars compositionis nobili incompositae constituta erat; cf. Lex. Sax. Tit. II, § 1 et 3; cf. h. l. Cap. I, pag. 28.

quam etiam in Capitularibus[24]) reperimus, et quam fredi fuisse ipsa Saxonum lege[25]) docemur, ita ut ingenui compositio duplo superata sit a nobilis compositione. Haec vero quae in lege Saxonum commemoratur compositionis ratio aperte Carolo M. debet originem. Quae praeterea nobili ordini in judiciis fuerint minoris momenti privilegia cum majore compositionis modo arctissime conjuncta, infra referantur ubi de judiciis sermo erit. Tertium in quo nobiles ceteris ordinibus praestabant, in eo positum est, quod simul principes pagorum maximam partem fuisse videntur[26]). Alia, quibus fruebantur Francorum aliorumque Germaniae populorum nobiles, quorum auctoritas vel regio quod obtinebat imperio efferebatur, item ad Saxonum pertinere nobiles nullum unde conjicias, adest indicium. Eodem modo de sacerdotio cum nobili ordine conjuncto nihil certi compertum habemus, quamquam ex Saxonum et Scandinaviae populorum propinquitate, quam apud hos sacerdotum et nobilium ordinis conjunctionem fuisse scimus, eandem colligi potest Saxonibus quoque non esse denegandam.

De ingenuis.

Ingenuorum quae fuerint jura, quaeque eorum conditio in universum, neque ex antiquioribus mo-

---

24) Capitul. a. 897 Cap. 5.: „Si quis de nobilioribus ad placitum manitus venire contempserit, sol. IV componat, ingenui II, liti I.“ — Capitulare Paderborn. a. 785. Cap. 18, 19, 20.

25) Tit. IV, § 8: „Quidquid vel uno denario minus tribus solidis quislibet furto abstulerit, novies componat, quod abstulit: et pro **fredo**, si nobilis fuerit, XII solidos, si litus IV et conscius similiter.“

26) Ex compluribus enim annalibus (cf. h. l. Cap. III, Not. 6.) patere videtur in bello optimatibus maximam partem obvenisse imperium, quod sine dubitatione principes pagorum tenebant.

numentis neque contentis atque comparatis iis, quae in speculo Saxonico, quod sane posterioris temporis est, traduntur, satis accurate cognoscere licet. Quantum scimus eorum jura quatenus litis praestabant haecce erant:

a) jus compositionis majoris quam quae postulari poterat a litis. Quanti vero fuerit, in lege non est significatum. Sed ex Capitulari Paderborn. a. 785 et Capitulari Saxonum a. 795 et ex fredi ratione in lege Saxonum significata, circiter duplo superasse litorum compositionem colligi potest[27]).

b) Jus propriae possessionis. Ex hoc tamen jure minime dependebat judicii et concionum societas, id quod Grimmius de omnibus Germaniae populis contendit[28]). Judicii enim et concionum etiam liti participes erant, qui tamen proprios non habebant fundos[29]).

c) In judiciis eorum dignitas atque auctoritas videtur amplior fuisse, quod cum compositione et fredo majore necessario conjunctum erat. Quamquam hac quoque in re ingenuus nonnunquam eodem atque litus jure utebatur, veluti servo occiso qui sese ab caedis accusatione liberare volebant ingenui et liti, plenum sacramentum i. e. cum undecim conjuratoribus jurare debebant, dum apud nobiles tres conjuratores sufficiebant[30]). Reliqua jura ingenuis et litis pariter conveniebant.

27) Cf. h. I C. III, Not. 24 et 25.

28) Deutsche Rechtsalterthümer pag. 290.

29) Cf. h. I Cap. III, Not.

30) Lex Saxon. Tit. II, § 4: „Servus a nobili occisus XXXVI. solidis componatur, vel tribus jurantibus negetur. A libero vel lito vero pleno sacramento negetur."

De litis.

Liti[31]), qui ipsorum lingua etiam Lidi[32]), Lidones[33]) Lazzi[34]) appellantur, latinó sermone coloni[35]) et liberti[36]) vocantur, ea Saxoniae incolarum pars nominabatur, quorum patres aborigines hujus terrae liberi erant, quique ab Saxonibus immigrantibus bello subjecti sunt[37]). Idem nomen etiam apud Francos, Alemannos, Thuringos, Frisios reperitur, apud quos omnes ordo iste ita si-

31) De derivatione propriaque significatione nominis Litorum, quos apud alias Germaniae gentes pro vavietate dialectorum etiam Latos, Laetos, Litones dictos invenimus cf. Grimm: Deutsche R. A. p. 305 seqq.

32) Chronic. Moisiac. ad a. 780 (Mon. Germ. hist. T. I, 296) et annal. Lauresham. ad. a. 780 (Mon. Germ. hist. T. I, pag. 36).

33) Dipl. Car. M. a. 803; cf. J. Möser: Osnabr. Gesch. I, 405.

34) Vita Lebuini (Mon. Germ. hist. T. II, 361).

35) Einhard apud Adam. Brem. I, 4.

36) Einhard apud Adam. Brem. I, 5.

37) Einhard apud Adam. Brem. I, 4: „Quibus (sc. Saxonibus) secum quasi jam pro liberitate et patria fortiter dimicantibus, superavit (sc. Theodoricus rex Francorum) adversarios (sc. Thuringos) vastatisque indigenis et ad internecionem pene deletis, terram eorum juxta pollicitationem suam victoribus delegavit. Qui eam sorte dividentes, cum multi ex iis in bello cecidissent, et pro raritate eorum tota ab iis occupari non potuit, partem illius, eam maxime, quae respicit orientem colonis tradebant, singulis pro sua sorte sub tributo exercenda.“ — Wittechind. annal. I. (apud Meibom. 634): „Saxones igitur possessa terra (sc. Thuringorum) summa pace quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsae gentis tributis condemnavere.“ Spec. Sax. Lib. III, 44, § 3: „Unsere vorderen die her to lande quamen unde die doringe verdreven. — Do irer sovele nicht newas, dat sie den acker buwen mochten, do sie di dorinschen herren slugen unde verdreven, do licten sie die bure sitten ungeslagen, unde bestadeden in den acker to alsogedaneme rechte, als in noch die late hebbet; dar af quamen die late.

gnificatus eodem modo ortus esse videtur: ita tamen ut eorum jura et civilis conditio apud diversos populos admodum fuerint diversa, quippe quae ab expugnatorum propriis moribus, usu et necessitate penderent. Quocirca apud alios populos liti propius ad servos accedunt, apud alios ad ingenuos, ita ut ex litorum juribus et conditione, qua apud alium populum fruuntur, ad alium quemlibet conjecturam facere non liceat. In Saxonia, cujus occidentalem maxime partem incolebant, libertate gaudebant personali, ut dicunt, liberam tamen non habebant possessionem, sed nobilium sive ingenuorum agri iis traditi erant colendi, pro quibus censum pendebant. Hujus autem census apud litos ratio num semper fuerit eadem; an jam prioribus temporibus ex privatis inter litos agrorumque possessores necessitudinibus et pactis, ut veri simile est, diversa reddita sit, ita ut fortasse proprietariorum (Plechhaften)[38]) pars et paganorum (Landsaten)[39]) qui itidem tributarii fuisse in speculo Saxonico traduntur, ex litis orta sit, id certo definiri non potest. Dedititios (Dagewerchten) tantummodo notum est ex litis constitisse, qui jura sua amiserant[40]). Neque scio an omnino ad hoc

38) Spec. Sax. I, 2, 1: „Vriheit de is aver drierhande: scepenbare lüde, plechhaften, lantseten;" cf Glossa ad h. l.: „plechhaf'ten sin, die in dem lande eighen hebben, dar si wat sin plichtig af to geneve."

39) Spec. Sax. III, 45, 6: „Andre vri lüde sint lantseten geheten, unde komet unde varet gasteswise, unde ne hebbet nen egen in' me lande; den gift man ok veften schillinge to bate unde tein punt is ire weregelt." — Gloss. ad lib. I, 2, 4: „Lantseten sint dat, de hir beneden birgelden heten, die sitten up ghemedeme gude, dar me si mach afwisen, wen ma will."

40) Spec. Sax. III, 44, § 3: „Von den laten di sik verwarchten an irme rechte sint komen dagewerchten." — Gloss. ad art. 8, lib. I, Liegn. Cod. Spec. Sax. 1386. fol. 28: „Laten daz sint gebur dy zcu scinsrechte siczen ader czu dinste."

tantum postremum litorum genus locus ille legis Saxon. recte referatur, in quo de criminibus sermo est, quae a litis dominorum jussu committebantur[41]). Jura hujus ordinis civilia haecce erant:

1) Jus faidae[42]) i. e. jus, quo omnes, quibus affecti erant, injurias aut ipsi aut a propinquis adjuti ulcisci poterant, de quo fusius dissere-tur, ubi de judiciis sermo erit.
2) propria compositio[43]), propriumque fredum[44]), quod duplo minus erat, quam quod ingenui pendebant et accipiebant. Compositio homicidii fecit centum viginti solidorum summam. In speculo Saxonico dimidium ejus facit, quae pro bannito (scepenbaren vrien) solvenda est, novem librarum summa[45]). Quodsi domini jussu litus crimen commisit, expiatio domini erat[46]).

41) Tit. XI., 1: „Quidquid servus, aut litus, jubente domino perpetravit, dominus emendet.“

42) Patet id ex lege Sax. T. II, 5: „Litus si per jussum vel consilium domini sui hominen occiderit, ut puta nobilem dominus compositionem persolvat, vel Faidam portet. Si autem absque conscientia domini hoc fecerit, dimittatur a domino, et vindicetur in illo (sc. lito) et aliis septem consanguineis ejus a propinquis occisi, et dominus liti se in hoc conscium non esse, cum undecim juret, cf. Th. Gaupp: Miscellen des Deutschen Rechts. Breslau, 1830, pag. 65.

43) Lex. Sax. Tit. II., § 3: „Litus occisus CXX solides componatur. Mulcta vero vulnerum ejus, per omnia duodecima parte minor, quam nobilis hominis. Solvatur autem solido majori, vel si negat, sua manu duodecima juret. Si in turba vel seditione fuerit occisus, componatur ab eo, cui mors imputatur, vel sacramento duodecim hominum negetur.

44) Lex. Sax. T. IV, § 8 cf. h. l. C. III, Not. 25.

45) Spec. Sax. III, 45, 7: „Tvintich schillinge unde ses penninge unde en helling is der latelude bute, unde negen punt is ire weregelt; cf. ejusd. art. § 1: „Den scepenbaren vrien lüden gift man drittich schillinge to bute pündeger penninge, der solen tvintich schillinge ene mark wegen. Ire weregelt sin achtein punt pündeger penninge.“

46) Lex. Sax. Tit. XI, I et II, 5; cf. h. l. C. III, Not. 41 et 42.

3) concionum et judiciorum societas[47]), etsi eorum auctoritas non fuit tanta, quanta ingenuorum
4) Expeditionum societas, id quod ex eo appare quod Carolus M. iis quoque obsides imperabat[48]
5) Jus mancipiorum parandorum[49]).
6) Jus librae migrationis i. e. jus ab quolibe terrae loco in alium migrandi, quod sine dubi ingenui habebant, incertum est an litis quoqu convenerit. Posterioribus quidem temporibus, quibus reliqua quoque litorum jura admodum erant praecisa domino permittente fundum relinquere poterant[50]).

De servis.

Omnium minimum de Saxonum servis memoriae traditum est. Neque proprios habebant agros, ne-

47) Vita Lebuini (Mon. Germ. hist. II, 361): „Sed erat gens ipsa sicuti nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt denique ibi, qui illorum lingua edlingi, sunt qui frilingi, sunt qui lazzi dicuntur, quod in latina sonat lingua, nobiles, ingenuiles, atque serviles. — Statuto quoque tempore anni semel ex singulis pagis, atque ex iisdem ordinibus tripartitis, singillatim viri duodecim electi, et in unum collecti in media Saxonia secus flumen Wiseram et locum Marclo nuncupatum, exercebant generale concilium, tractantes, sancientes et propalantes communis commoda utilitatis, juxta placitum a se statutae legis. — Lex. Sax. Tit. I, § 8; „Quicunque gladio stricto super alterum cucurrerit, et retentus ab alio fuerit, VII solidos componat, vel in manu liti sui, vel sua armata juret.

48) Chronic. Moisiac. ad a. 780 (Mon. Germ. hist. I, 296) et Annal. Laurescham. ad eund. annum 780 (Mon. Germ. hist. I, 36): „Saxones omnes tradiderunt se illi et omnium accepit obsides, tam ingenuos quam et lidos.“ cf. Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, T. I, § 15, Not.

49) Capit. Paderb. a. 785, Cap. XIV: „Et inter centum viginti homines, nobiles et ingenuos, similiter et litos, servum et ancillam eidem ecclesiae tribuant.“

50) Gloss. ad Spec. Sax. lib. II, 59, 1: „We in sassen tu tinsgude geboren is, dat is en late, di mach des gudes ane sines herren orlof nicht vertien.“

que ipsorum personas liberas. Itaque omnis juris civilis expertes propriam compositionem non habebant. Eorum pretium ut cujuslibet alius possessionis aestimatum est, et triginta sex solid. summam fecit[51]). Servo igitur occiso dominus pretium istud accepit compensationis loco. Crimina a servo commissa expianda domino erant, volente an nolente factum perpetratum sit[52]). A compositione tamen dominus liber erat, si crimine commisso servus a domino perfugit, neque ad eum rediit[53]). Sin vero rediit, solvenda erat[54]).

51) Lex. Sax. Tit. II, 4: „Servus a nobili occisus XXXVI. solidis componatur, vel tribus jurantibus negetur.“

52) Lex Sax. Tit. XI, 2; „Si servus scelus quodlibet nesciente domino commiserit, ut puta homicidium aut furtum, dominus ejus pro illo, juxta qualitatem facti mulctam componat.“

53) Lex. Sax. Tit. XI, § 3: „Si servus perpetrato facinore fugerit, ita ut a domino ulterius inveniri non possit, nihil solvat.

54) Lex. Sax. Tit. XI, § 5: „Si servus iterum a domino receptus fuerit, mulctam pro eo componat.“

Cap. IV.

DE SAXONUM CONCIONIBUS ATQUE JUDICIIS.

Omnis Saxoniae populus in plures divisus erat singulas gentes, quarum unaquaeque *suum* habitabat proprium pagum[1]), omnes vero communi vinculo inter sese conjunctae erant. Singularum istarum gentium supremus erat finis, ut uniuscujusque servaretur, quoad fieri posset, summa libertas, omniaque ista removerentur, quae illam praecidere posse vel turbare aliquo modo viderentur. Quam ob causam singuli eatenus tantummodo de propria sua libertate sibi detrahi passi sunt, quatenus communem istum ut assequi liceret *finem*, necessarium erat. Pericula autem libertati imminentia duplicis poterant generis esse. Aut enim imminere poterant singulis ex mutuae violationis ultione atque vindicta, aut omnium libertati ab hostibus externis instare. Quare omnia Saxonum civitatis instituta aut violationum spectant expiationes, atque sic quodammodo nonnisi conventus sunt omnium consensu sanciti, et tanquam judicia, aut ad bella spectant et terrae communem ab hostium impetu defensionem. Itaque Saxonum legislatio pacis tempore ab judiciis non erat diversa, adeoque conciones et judicia conjuncta atque fere unum idemque, ut etiam in hac eorum investigatione sejungi nequeant, et tanquam unum quiddam totum sint consideranda.

---

1) Einhard. annal. ad a. 784: „Vastatis Westfalaorum pagis"; — unus ex veteris Saxoniae pagibus erat haud dubie pagus Bucki: Einhard. annal. a. 775. — Cf. h. l. Cap. I, Not. 38 et Cap. V, Not. 6.

Secundum illud quod supra posuimus Saxonum libertatis principium supremumque finem unicuique Saxoni jus faidae obveniebat, sive jus, ex quo injuriam acceptam quisque poterat aut solus aut affinium auxilio ulcisci[2]), armorumque vi violationis illatae sibi parare compensationem, sive eam similem voluit esse violationem, sive mulctam[3]). Hoc vero faidae jure triplex singulorum libertati imminebat periculum.

a) Laesi libertas in periculo versabatur, si cui illata erat injuria, inferior erat. Namque jus quidem injuriae ulciscendae, neque tamen potentiam is habebat, ideoque assequi quod volebat, non poterat.

b) Laedentis libertas in periculo erat, si violatus majorem potentiam habebat, quoniam quam faida finita a victo peteret poenam, in victoris arbitrio erat.

c) Frequenti vulgatoque faidae usu, praesertim si alter alteri par erat, facile omnium libertas perturbari poterat.

Quae ut removerentur pericula, certae leges certaque instituta more recepta atque sacrata erant; atque

1) certa loca sacra habebantur, ubi faidam aut incipere aut continuare nefas fuit, idque etiam certis diebus valuisse verisimile est. Ad illa

---

2) Lex. Sax. Tit. XII, § 5: „Si ferrum manu elapsum hominem percusserit, ab eo, cujus manum fugerat, componatur, excepta faida.“ Tit. XIII, § 1: „Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo, cujus esse constiterit, componatur, excepta faida.“ — Tit. II, 5. — Cf. K. A. Rogge: Ueber das Gerichtswesen der Germanen. Halle, 1820. Cap. I, § 1.

3) Faidae finis optime intelligitur ex lege Fris. Tit. II, Cap. 5: „Si is, qui eum occidit, infra patriam fuerit — nec leudem solvat, inimicitias propinquorum occis patiatur, donec secum eis reconciliet.“

4) Lex. Sax. Tit. III, § 4: „Qui hominem propter faidam in propria domo occiderit, capite puniatur.“

loca domus faidosi i. e. ejus, cui faida inferebatur, pertinebat, ita ut, qui hominem faidosum in ejus ipsius domo interemerat, capitis damnaretur[4]). Quam quidem legem infirmiori contra eum, qui majorem tenuit potentiam, praesidio fuisse, negari non potest.

2) Praeterea etiam jus compositionum valebat i. e. jus, ex quo qui injuria aliqua aut ipse aut propinquorum unus affectus erat, faida neglecta compensationem aliquam legitime postulare poterat, sicuti alter mulcta soluta faidam prohibuit, et cum adversario in gratiam rediit, quem quidem morem apud omnes Germaniae gentes invenimus. Compensatio illa sive mulcta nominabatur compositio[5]) i. e. mulcta, qua injuria vel faida propter injuriam illatam componebatur[6]), quodsi vero pro homicidio mulcta ista solvebatur, Werigildum (Wergeld)[7]) eam appellabant.

De his compositionibus haecce memoratu digna sunt:

a) Utrum qui injuria aliqua affectus erat, solus, an una cum adversario inter faidam et compositionem jus eligendi habuerit, certo discerni

---

5) Lex Sax. Tit. I, § 16: „Si auricula, vel oculus, vel nasus, vel pes, ita percussa manca loco remanserint, vel pependerint, medietatem supradictae compositionis exsolvat. Si movere ipsum membrum possit, quartam partem componat."

6) Lex Sax. Tit. II, § 6: „Si mordum totum quis fecerit, componatur primo in simplo, juxta conditionem suam, cujus mulctae pars tertia a proximis ejus, qui facinus perpetravit, componenda est, duae vero partes ab illo, et insuper octies ab eo componatur, et ille ac filii ejus soli sunt faidosi."

7) Lex Sax. Tit. II, § 7: „Si nobilis nobilem extra solum vendiderit, et reducere non potuerit, componat eum, ac si occidisset. Si vero reduxerit eum, emendet ei, juxta quod placitare potuerit. Si autem ille sua sponte reversus fuerit, medietatem Weregildi ejus componat." De hujus vocabuli derivatione cf. Grimm: Deutsche R. A. pag. 650. seqq.

nequit; attamen affecto soli optionem esse datam, inde conjicere licet, quod nonnisi qui injuriam alicui intulit, faidam dicitur portare[8]. Accedit, quod si uterque idem jus habuisset, compositionum finem ad faidas removendas adjuvandosque infirmiores spectantium assecuturi non erant[9]).

2) In compositionum magnitudine constituenda ratio habebatur:

a) qualis fuerit injuria. Ita ictus, qui ut aliqua corporis pars tumeret, effecerat, duplo majori mulcta, quam pro vulgari ictu solvi solebat, expiabatur[10]); sin vero sanguis effluxerat, quadruplex mulcta solvenda erat[11]).

b) In caede et corporis violatione: ad quem ordinem et ad quod genus persona violata pertinuerit[12]), in furto autem rationem generis et ordinis ejus, qui facinus commiserat, habitam fuisse verisimile est[13]); si omnino in furto homines diversi ordinis diversas compositiones solvebant. Qui liberum, duplicem mulctam, et qui nobilem, quadruplicem ejus videtur solvisse, quam qui litum violavit solvebat.

Atque hac quidem in re quaestio ista, quam ob causam compositiones secundum alios ordines aliae fuerint, quoniam in judiciis veterum Germanorum investigandis hodie haud parvi momenti haberi coepit, prorsus hic omitti nullo modo potest. Sunt autem tres potissimum a viris doctis, qui huic quaestioni satisfacere studuerunt, diversae in medium prolatae opiniones commemoratione haud

8) Lex Sax. Tit. II, 5; cf. h. l. Cap. III, Not. 42.
9) M. v. Woringen: Beiträge zur Geschichte des deutschen Strafrechts. I H. Berlin, 1836. pag. 39 seqq.
10) Lex Sax. Tit. I, § 1: „De ictu nobilis XXX solid.“ § 2: „Livor et tumor LX solid.“
11) Lex Sax. Tit. I, § 3: „Si sanguinat, cum CXX solid.“
12) Cf. h. l. Cap. III.
13) Cf. Grimm Deutsche R. A. pag. 659.

indignae. Quarum prima Phillipsii[14]) est, qui in eo sibi videtur hujus rei causam invenisse, quod singulis violatis etiam totius familiae atque concionis se defendendi facultas diminuta sit; cum igitur homines alius ordinis alia potentia uterentur, faidae potentiam, quam familia habebat, secundum caesi ordinem diminuendam fuisse; quapropter compositionem secundum ordinem caesi atque genus diversum constitutam esse[15]). Secundum alteram quam Roggius[16]) protulit opinionem jus faidae ideoque etiam jus compositionis jus est liberorum, quapropter compositionis modus a diversis libertatis gradibus vel a diverso faidae jure depenbebat[17]).

14) Grundsätze des gemeinen deutschen Privatrechts. Berlin. 1829. Tom. II, pag. 2.

15) Hanc quidem Phillipsii opinionem Woringenius eo refutare conatus est, quod primum ejus explicationem tantummodo ad compositionem homicidii, neque vero ad compositiones cujusque generis referri posse, ac deinde in compositionibus, singulorum, quibus caesis faidae jus familiae diminutum esset, neque vero totius ordinis rationem habendam fuisse exposuit. Attamen quamquam quod posteriore loco posuit argumentum recte se habet, illud tamen prius ea de causa probari nequit, quod non homicidio tantum, sed quavis etiam corporis violatione familiae faidae facultas comminui potuit.

16) Ueber das Gerichtswesen der Germanen: pag. 14. seqq.

17) Quae Woringenius contra Roggii opinionem argumenta profert, (Woring. l. l. p. 69), Roggium scilicet jus faidae confusisse cum faidae facultate, neque ex illius sententia intelligi posse, qui posteriore tempore ecclesiae et sacerdotes, quippe qui nullam haberent faidae potentiam, etiam majorem habere potuerint compositionem, vix possint jure probari. Namque jus et potentiam faidae idem fere esse, Roggius ipse dicit (l. l. p. 3: Es war also die Germanische Freiheit oder das Fehderecht eine blosse Gewalt, in deren Besitz die Natur nur die freien Germanen gesetzt hatte.), ecclesiae vero atque sacerdotes, qui plane faidae jure caruerunt, quod majorem compositionem habebant, in eo causa posita est, quod illi sub rei publicae vel regis tutela erant, ita ut hujus faidae jus hac in re respiciamus necesse sit. Praeterea vero hoc loco id non potest afferri, cum ad tempora ante chri-

Woringenius[18]) denique compositiones in personis alius ordinis propterea alias fuisse censet, quia violato aliquo, qui superioris inferiorisve ordinis fuerit, etiam injuria major minorve habita sit, ita ut compositio semper injuriae par fuerit.

Quarum quidem opinionum num qua et quae potissimum sit vera, certo dici non potest, propterea quod haec ut disceptari quaestio posset, quomodo diversi ordines atque diversae compositiones exortae sint, primum necessario dijudicandum foret. Namque eodem jure, quo diversas compositiones contendi potest diversis ordinibus esse exortas, etiam illas statuere licet his praecessisse, ita ut ex iis exstitisse nobilium ordo possit videri, qui ob majorem se defendendi facultatem amplioribus possessionibus praebitam etiam majorem solverent compositionem. Itaque negligentiae socordiaeve non videmur esse arguendi, si ab ejusmodi quaestionum, quae an nunquam possint satis recte expediri magno opere dubitamus, prorsus abstinemus accuratiore investigatione, omnemque hanc quaestionem plane esse rejiciendam existimamus.

De compositionibus vero praeterea commemorandum est:

3) violatum, cui faidae et compositionis optio data est, ergo in homicidio caesi propinquos compositionem accepisse[19]).

Ex hoc compositionum instituto haec duo potissimum fluxerunt commoda; primum enim neque violatus neque faida finita victor, sed tota concio compositionis magnitudinem constituebat. Deinde

---

stianam religionem a Saxonibus receptam praeterlapsa non pertineat.

18) Beiträge zur Geschichte des deutschen Strafrechts. 1 H. pag. 86 seqq.

19) Lex Sax. Tit. II, § 5: „Si autem (litus) absque conscientia hoc fecerit, dimittatur a domino, et vindicetur in illo, et aliis septem consanguineis ejus a propinquis occisi.“ —

cum victor sine faida idem, quod per faidam assequi posset, faidae ipsae coercebantur; quare apud nonnullas gentes compositiones ad faidas magis diminuendas amplificatas esse invenimus[20]).

Quodsi qui injuriam alicui intulerat, eam negavit vel eam confessus mulctam solvere noluit, judicandi jus atque in certis rebus etiam vis contra singulos concionis judicio, quod ding[21]) nominatum esse videtur, concessa erat. Quales hae conciones atque quoties quove tempore in singulis pagis convenerint, plane ignoramus. Quae cognoscere licet, haecce sunt:

1) Petitor sive accusator in certis causis apud concionem testibus, qui in eodem pago habitare solebant, rem agere potuit[22]). Quae causae hae fuerint, quales testes esse debuerint, quaeque ratio inter eorum numerum atque injuriam exstiterit, explorari nequit.

2) Reus suo et conjuratorum jurejurando a criminatione liberari potuit. Qui quidem conjuratores vel consacramentales in eodem pago incolebant, neque facinus non commissum, sed accusato juranti fidem habendam esse jurejurando confirmarunt. Eorum non poterant plus undecim esse, ita ut jusjurandum accusati, facinus se non commisisse duodecimum esset: unde formula duodecima manu jurare[23]).

---

20) Lex Longob. LL. Rothar. Cap. 74: „In omnibus istis plagis ac feritis — ideo majorem compositionem posuimus quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimicitia, postponatur, et amplius non requiratur, nec dolus teneatur, sed causa sit finita, amicitia manente.“ Cf. Woringen. l. l. p. 68, Not. 17.

21) Spec. Sax. I, 58, § 2 et Goding, Spec. Sax. III, 91, 1.

22) Lex Sax. Tit. V, § 3: „Qui alteri dolose per sacramentum res proprias tollere vult, duobus aut tribus de eadem provincia idoneis testibus vincatur, et si plures fuerint, melius est.“

23) Lex Sax. Tit. II, § 3: „Vel si negat, sua manu duodecima juret.“

Id jusjurandum, quod plenum sacramentum nominatur[24]), secundum Saxonum legem, cujus sane hac de re placita nonnisi ad Nobiles pertinent, atque a Carolo M. partim adjecta esse videntur, in criminibus, quae CXX usque ad CCXL solidorum mulcta componebantur[25]), jurare debebat. In criminibus, quibus sexaginta solidorum compositio constituta erat, accusatus cum quinque conjuratoribus ergo sexta manu[26]) jurabat. In iis, quae XXX vel XXXVI solidis componebantur, duo conjuratores sufficiebant, ita ut accusatus tertia manu juraret. In criminibus minoribus, quae duodecim solidorum mulctam efficiebant, jusjurandum Liti vel accusati solius armata manu juratum sufficiebat[28]). At hae quoque leges secundum reorum ordinem diversae erant. Ita in criminibus, quae triginta sex solid. componebantur, et a quibus Nobilis tribus jurantibus eximi poterat, liber et litus plenum sacramentum jurare debebant[29]).

3) Reus si convictus erat, neque vero compositionem solvit, procul dubio in concionis potestate erat, ut eum ad compositionem solvendam incitaret[30]).

4) Si uterque et accusator et accusatus causam

24) Lex Sax. Tit. II, § 4: „A libero vel lito pleno sacramento negetur."

25) Tit. I, § 3: „Si sanguinat, cum CXX solid. vel cum undecim juret." — § 4: „Si os paruerit CLXXX solid. vel cum undecim juret." — § 5: „Si os fregerit CCXL solid. vel cum undecim juret." Cf. Tit. I, § 7, § 10 etc.

26) Lex Sax. Tit. I, § 2: „Livor et tumor LX solid. vel sexta manu juret."

27) Lex Sax. Tit. I, § 1: „De ictu nobilis XXX solid., vel si negat, tertia manu juret." — § 6: „Si gladio vestem, seu scutum alterius inciderit, XXXVI solid. componat, vel tertia manu juret." Cf. § 9 etc.

28) Lex Sax. Tit. I, § 8; cf. h. l. Cap. III, Not. 47.

29) Lex Sax. II, 4; cf. h. l. Cap. 3, Not. 30.

30) Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte T. I, § 18, Not. [illegible] — Mor. v. Woringen. l. l. pag. 38.

suam justam esse testibus probabant, certamen singulare rem dijudicabat[31]).

3) Propterea quod crimine illo quodammodo etiam pax totius concionis, quae libertatem singulorum tuendam curavit, perturbata erat, qui injuriam fecerat, interdum etiam praeter compositionem fredum (Friedgeld) i. e. pecuniae summam quandam pro laesa concionis pace concioni solvere debebat, quod quidem fredum ab ejus ordine dependebat. Namque Litus simplex, Ingenuus duplex et Nobilis quadruplex fredum solvebat. Quibus in rebus fredum solvendum fuerit, nos fugit, quum in Saxonum lege nonnisi *semel in* furto, quod nondum pretium trium solidorum superavit, commemoretur[32]).

Haec de singulorum pagorum concionibus et judiciis. Quae societates inter singulos pagorum incolas communi agrorum, saltuum etc. possessione exortae sint et quales fuerint, num'ne pluribus dicam, in Saxonia societates, quas *Grimmius*[33]) aliique Markgenossenschaften vocarunt, exstiterint et quales fuerint, deinde num in pagis minores *societates*, quae similes Anglosaxonum Freoborgis vel Francorum contuberniis fuerint, Saxones inierint, ex fontibus perspicere non licet. At hac in re id non omittendum videtur, quid sub Saxonum W a r g i l d a, quae in nulla alia Germanorum gente invenitur quaeque in ipsis Saxonicae historiae fontibus nonnisi semel commemoratur, intelligendum sit; quae quidem quaestio a pluribus hodie investigata est. Tres praecipue de hac re propositae *sunt*

31) Lex Sax. Tit. XVI, § 1: „Qui terram suam occupatam ab altero dixerit, a d h i b i t i s i d o n e i s t e s t i b u s, probet eam suam fuisse; si occupator contradixerit, campo dijudicetur.“

32) Lex Sax. Tit. IV, § 8; cf. h. l. Cap. III, Not 25.

33) Deutsche R. A. pag. 504; cf. J. Möser's Osnabr. Geschichte T. I, pag. 13 et Eichhorn Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte T. I, § 14.

opiniones, Gauppius[34]) Wargildam societatem Francorum contubernio et Anglosaxonum freoborgo similem fuisse putat. Wilda[35]) hac opinione rejecta eam tantummodo ad sacra facienda initam fuisse contendit. Woringenius[36]) haec tria instituta, contubernium, freorborgum et wargildam sibi similia fuisse quidem negat, propterea quod contubernium et freoborgum duo sibi dissimilia instituta fuerint. Contra vero cum Gauppio wargildam freoborgo similem fuisse ponit, et societatem, quae jus observandum curaverit. Ut certi quid de hac re contendere possimus, sententiam hujus totius loci, quo illud vocabulum legitur, recte percipiamus necesse est. Locus est hic[37]).

„Hoc etiam statuerunt, ut qualiscunque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses solidos XII pro districtione recipiant, et pro Wargilda (in Mon. Germ. hist. legitur Wargida), quae juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in praesentia missorum regalium causae definitae fuerint, pro jam dicta Wargilda (Wargida) suprascriptos solidos XII ipsi pagenses habeant concessos; et pro hoc, quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII solidos inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in praesentia Regis ad definiendum fuerit producta, tunc utrique solidi XII, id est pro Wargilda (Wargida), et quod vicinis debuit componere, eo, quod infra patriam definita

34) Das alte Gesetz der Thüringer pag. 132 seqq.
35) Berliner Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. 1835. Nov. N 82.
36) Beiträge etc., Einleitung IX seqq. et pag. 96 seqq.
73) Capitul. Saxon. a 797, Cap. IV.

ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere, quod sint solidi XXIV."

Duplex horum verborum potest sententia esse. Aut enim, sicut Woringenius vult, locum possis ita explicare, ut significet: Hoc statuerunt, ut in quavis causa,

1) si infra pagi fines pacificetur, pagenses solid. XII pro districtione, et quidem pro Wargilda recipiant.
2) si praesentibus missis dominicis definiatur,
   a) pro jam dicta Wargilda illos XII solid. pagenses,
   b) missus vero dominicus alios XII solid. ad partem regis recipiat.
3) si ad palatium regis ad definiendum producta fuerit,
   a) pro Wargilda pagenses nihil accipiant,
   b) sed utrique solidi XII et quos antea missus dominicus et quos pagenses pro Wargilda receperunt, ad partem regis tradantur.

Hanc si sequimur explicationem, dictiones „pro districtione" et „pro Wargilda" ita inter se conjunctas esse statuendum est, ut districtio et Wargilda unius tantum ejusdemque rei vel notionis diversae sint partes, et Wargilda societatem, si omnino societas quaedam est, significet, cujus qui participes fuerint, habuerint districtionem. Cum igitur freoborgi quoque Anglosaxonum ad rectum habere dicantur, Woringenius Wargildam freoborgo similem fuisse contendit. Huic tamen explicationi prorsus obstant verba: „id est, pro Wargilda, et quod vicinis debuit componere," quae quoniam vix possunt aliter nisi in hanc partem intelligi, ut qui antea soluti sint XII solidi pro Wargilda, quique alteri XII solidi vicinis fuerint componendi, ii utrique solidi XII i. e. XXIV ad partem regis componantur, aperte docent in prima placiti parte non potuisse tantummodo XII solidos pagensibus solvi pro districtione, et quidem

pro Wargilda, imò quia qui pro Wargilda solvebantur XII solidi, discernuntur ab aliis XII solidis vicinis componendis, postremos hos XII solidos sequitur eosdem esse, qui antea pro districtione erant solvendi. Quapropter hac potius ratione locus videtur intelligendus esse: Hoc etiam statuerunt, ut in quavis causa

1) si infra pagi fines pacificetur, pagenses recipiant,
   a) XII solidos pro districtione,
   b) XII solidos pro Wargilda.
2) Si missis regalibus praesentibus definiatur,
   a) pagenses item pro Wargilda XII solidos,
   b) ceteros vero XII solidos, quos antea pagenses pro districtione receperunt, missus pro rege recipiat.
3) Sin causa ad palatium regis ad definiendum producatur,
   a) neque pro wargilda neque pro districtione quidquam recipiant, sed
   b) cuncti XXIV solidi regi solvantur.

Quam quidem explicationem si probamus, non video, cur triginta sex solidos, ut Woringenius putat, omnino solvendos fuisse existimemus. Nam in postrema hujus placiti parte, in qua de causa praesente rege definienda agitur, non alterius sed tantum primae partis ratio habetur, et solidi illi XII, qui in prima parte pro districtione solvuntur, iidem sunt, qui in altera parte misso dominico ad partem regis dantur, ita ut in extrema parte auctor eodem jure alterius partis neque primae ratione habita pro verbis: „quod vicinis debuit componere" scribere potuisset: „quod misso dominico debuit componi." Difficultatem tamen in eo fortasse quispiam invenire possit, quod hac explicatione nostra recepta „et pro Wargilda hoc concessum habeant" verba idem valere statuendum est quod „et etiam pro Wargilda hoc" vel „et idem pro Wargilda concessum habeant." At vero qui medii aevi scriptores qua usi sint dicend

rationem satis cognovit, cum hac quidem dictioni negligentia non esse offensurum existimo. Haec igitur explicandi ratio si vera est, ipsum contrarium ejus, quod Woringenius contendit, ex hoc loco sequitur, Wargildae scilicet, si societas quaedam fuit, officium a districtione fuisse diversum. Quapropter ex hoc loco Wargildam Anglosaxonum Freoborgo vel Francorum contubernio similem fuisse, minime concludere licet. Veri igitur haud dissimile esse videtur, societatem eam secundum Wildae opinionem ad religiosum cultum pertinuisse, namque quae ei obeunda erant munera quamquam a districtione i. e. a jure dicendo diversa fuerunt, tamen cum ea secundum illius loci sententiam arcte conjuncta erant. Atque apud Saxones conciones et judicia cum sacris vere conjuncta fuisse, paulo post, ubi de communi Saxonum concione explicabitur, videbimus. Qua in re tamen id mirandum est, eam societatem et ante Carolum M., cum Saxonibus christiana religio ignota esset, et ab ipso Carolo M. lege confirmatam fuisse. Omnino autem Wargildam societatem aliquam fuisse, argumentis demonstrari certis, ut nunc quidem res est, non potest, cum praesertim non Wargilda, quod omnes priores editiones praebent, sed Wargida, quod codicum auctoritate a Pertzio collatorum confirmatur, legendum esse videatur. Quapropter aliis cum destituamur testimoniis, quaestio ista de Wargilda vel potius de Wargida cum probabilitatis quadam specie disceptari neque potest, neque nisi novi accedant fontes, unquam poterit, ut opinor, dijudicari.

De omnium pagorum concionibus in singulis tribus provinciis nihil nobis traditum est. Concio vero, ad quam singuli totius Saxoniae pagi legatos mittebant, quoque anno convenit. Locus, ubi legati congregati sunt, fuit Marclo [38]) ad Visurgim.

---

38) Pertz. in Mon. Germ. hist. II, p. 362: „prope Marke-

Duodeni legati, qui ex tribus omnibus gentis Saxonicae ordinibus creabantur, ab singulis pagis eo missi sunt[39]. Omnes ascendebant in conventum armati[40], qui sub divo sacris atque votis ex patrum more celebrari coepit[41], quibus initiis rite absolutis de communibus Saxoniae rebus publice agebatur. Res autem, quae imprimis ad concionem vocabantur, ad externam fere Saxonum conditionem pertinebant. Aliorum hic legationes populorum renuntiabantur[42], foedera concludebantur, nec dubium esse videtur, quin de bello quoque et pace hic actum sit. Singulorum vero dissensiones contenionesque, pagorum, aliasque res internas itidem hic in consultationem ac deliberationem venisse, atque dijudicatas esse, certo comprobari testimonio non potest, veri tamen admodum simile est.

---

nah in comitatu Hoya; proxime est Heiligen — loh i. e. silva sacra, et Adels - horn.“

39) Vita Lebuini (Mon. Germ. hist. II, 361) cf. h. l. C. III, Not. 47.

40) Grimm: Deutsche R. A. p. 771.

41) Vita Lebuini (Mon. Germ. hist. II, p. 362): „Omnis itaque concionis illius multitudo ex diversis partibus coacta, primo suorum proavorum servare condendit instituta, numinibus videlicet suis vota solvens ac sacrificia.“ et. (Mon. Germ. hist. II, p. 363): „Tum vero (sc. Saxones concionem habentes) ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant et exacuunt, ut veluti assolet fieri lapidibus, sic eum illis sudibus perimerent.“

42) Vita Lebuini l. l.: „Quorum (Saxonum congregatorum) unus ceteris honoratior, nomine Buto, stans in eminentiori loco ita protestatus est: Frequenter ad nos quarundam gentium, Normannorum, Slavorum et Frisonum venerunt legati, quos more solito cum pace suscepimus, verba legationis diligenter tractavimus et honorifice auctos muneribus ad propria remisimus.“

Cap. V.

DE MAGISTRATIBUS.

Quamquam in Saxonum re publica Nobilium ordo pluribus quam ceteri juribus fruebatur, tamen supremam potestatem penes populum universum fuisse, ex iis, quae adhuc exposui, quivis intelliget. Quare nec regis potentia apud eos valebat, nec magistratuum, quibus singula officia mandata erant, numerus erat permagnus. Quorum tria genera scriptores nobis commemorant: 1) villicos, 2) pagorum principes seu satrapas 3) duces.

De villicis.

Ut ab infimo ordine exordiamur, tenebant eum villici[1]), qui in singulis vel pluribus villis quodammodo aedilis et judicis munera conjunxisse, vel ut accuratius dicam, qui disciplinam publicam, quatenus legibus descripta erat, observandam et lites quasdam componendas curavisse videntur. Aelfredus[2]) villicum in lingua anglosaxonica tungerefa[3]) (decanum) appellat, unde tamen villicum eadem, quae apud alias Germaniae gentes decanus, officia subiisse, minime sequitur; namque Saxones pagos in centenariatus (Hunderte) et decanatus (Zehnte), quibus centenarii et decani prae-

1) Bedae hist. eccles. lib. V, 11; cf. h. l. Cap. I, pag. 19.
2) In anglosaxonica Bedae venerabilis versione l. V, 11.
3) Tungerefa apud Anglosaxones uni praeerat teothing sive decem friborgis; cf. Phillips: Geschichte des Angelsächsischen Rechts. Göttingen, 1825. § 24.

fuerint, divisisse ex fontibus elici non potest. At fortasse villicus eandem, quam qui in spec. Saxon.[4]) nominatur Burmeister, potestatem tenebat. Neque vero ex hujus[5]) officiis quod villici munus fuerit, certo concludi potest, cum Saxonia cum Francorum regno conjuncta magistratuum populi conditio quam maxime commutata sit.

De pagorum principibus.

Principes pagorum[6]) a poeta Saxone[7]) etiam duces appellati singulis pagis praeerant. Etsi de horum quoque officiis non magis quam de villici munere nobis quidquam traditum est, tamen cum ex ea, in qua principes pagorum apud alias Germanorum gentes et apud Anglosaxones erant conditione, tum omnino ex civitatis Saxonum forma, illos pagorum principes et judiciis praefuisse et imperium in bellis tenuisse intelligere licet. A populo eos creatos et plerumque qui summa in pagis auctoritate excellerent, ergo haud dubie nobiles fuisse, in dubitationem vocari vix potest[8]). Num iis magistratibus,

4) Lib. I, 2, § 4. Lib. I, 86, § 2 etc.

5) In potestate ejus, qui Burmeister, in latina Spec. Sax. versione scultetus nominatur, praeter alia maxime haec tria erant:
   a) cum concione de rebus, quae ad concionem pertinerent, consilia capere; cf. Spec. Sax. lib. II, 55.
   b) de agri publici violatione judicare, cf. Spec. Sax. lib. III, 86, 1.
   c) de furtis, quae trium solidorum pretium non superarent, quaeque eodem die commissa erant. dirimere ;aque punire; cf. Gaupp Miscellen p. 10,

6) Vita Lebuini ...p. 4 (Mon. Germ. hist. II, 361): „Singulis pagis ...incipes praeerant singuli.“ —

7) Ad a. 7... (Mon. Germ. hist. T. I, p. 227); cf. h. l. Cap. ... Not. 35.

8) Cf. ... l. Cap. III, Not. 26.

quos speculum Saxonicum[9]) Gogrefen nominat responderint, incertum est; nec ita videntur appellati fuisse. Secundum enim eam, qua Grimmius vocabulum Grafio vel Greve derivat, rationem[10]) id nomen sicuti titulus comitis (quae quidem appellatio sane demum per Carolum M. apud Saxones inducta est), eo demum tempore, quo reges et qui deinde nominabantur principes regnabant, exstitisse potest. Fortasse igitur principes illi sicut apud Anglosaxones Ealdormen nuncupabantur, quo vocabulo Aelfredus in Bedae versione (V, 11) satrapas sive pagorum principes vertit.

De ducibus.

Duces, quos Aelfredus in Bedae versione Heritogan appellat, universis provinciis praefecti erant: quare tres in Saxonia erant, quorum alter Ostfalais, alter Westfalais, tertius Angeris praeerat[11]). Verisimile est, eos a populo designatos fuisse, nam quod Beda tradit[12]), a satrapibus sorte creatos esse, aperte falsum est. Exercitum convocabant[13]) et in bellis ducebant[14]): quapropter tantum bello exorto designabantur. Si toti populo

---

9) Lib. I, 2, 4 etc.

10) Deutsche R. A. p. 753. Grimmius derivat vocabulum Grafio sive girâvo a ravo, tectum, domus, ita ut socium significet.

11) Patet id ex Wittechindi annal. Lib. I, (apud Meibom. T. I, p. 634): „A tribus etiam principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westfalos.“ et ex bellis contra Francos gestis; cf. Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechts-Geschichte, T. I, § 134, N. k.

12) Histor. ecclesiast. Lib. V, 11; cf. h. l. Cap. I, p. 20 seqq.

13) Wittechind. annal. Lib. I, (apud Meibom. T. I, p. 634); cf. h. l. Cap. V, Not. 11.

bellum imminebat, illi tres duces unum ex suo numero toti Saxoniae sorte praeficiebant[15]). Itaque in eo, quod Saxones Germaniam ingredientes cum Francis contra Thuringos gesserunt bello, unus tantummodo dux Saxoniae universae commemoratur[16]).

14) Quod ex bellis Saxonum contra Frances gestis satis intelligitur; cf. Eichhorn l. l. T. I, § 134, Not. k et h. l. Cap. III, Not. 6.

15) Wittechind, annal. Lib. I, (apud Meibom. Tom. I, p. 634). „Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oporteat ad administrandum imminens bellum. Quo peracto aequo jure ac propria potestate unusquisque contentus vivebat."

16) Einhard, apud Adam. Brem. I, 4: „Theodoricus (rex Francorum) spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum dux erat Hadugatus; ut audivit causam adventus eorum pollicitisque pro victoria cohabitandi sedibus, conduxit eos in adjutorium."

Corrigenda.

Pag. 3, l. 3 lege: contexuerit pro „contexerit."
Pag. 4, l. 2 - nullus pro „nullns."
Pag. 24, l. 4 - Westfalai 51) pro „Westfalai 61)"
Pag. 24. Not. 51 - Cap. II, Not. 25 pro „Cap. II, Not. 22."
Pag. 31, Not. 69 - cf. h. l. pag. 34 pro „pag, 33."
Pag. 45, Not. 1 - cf. h. l. Cap. I. pag. 13 pro „pag 16."
Pag. 48. Not. 14 - pag. 30 pro „pag 32."
Pag. 50. Not. 23 - h. l. Cap. I. pag. 26 pro „pag. 28."
Pag. 52. Not. 29 adde: Not. 37 et 40.
